


XIV, 12.

4, 30.







41

ORATIO SOLENNIS  
*De*  
PROFESSORIBUS  
POETICIS  
per seculum XVII. à nato Christo  
IN ACADEMIA LIPSIENSIS  
DOCENTIBUS.  
in publica  
MAGISTRORUM RENUNCIATIONE,  
cum  
PRO-CANCELLARII MUNERE  
fungeretur,  
d. 26. Jan. A. C. M DCC II.  
recitata.

M. JOH. HEINRICO ERNESTI,  
Poët. Prof. Publ. & ad D. Thom.

Rectore.

Adjecta sunt SCRIPTA EJUSDEM  
ad eandem promotionem spectantia  
duo,

PROGRAMMA, quo Candidati  
invitabantur,


& fusum


in laudes MAGISTRORUM NOVORUM  
more recepto

CARMEN PANEGYRICUM.

---

gpl. LIPSIAE, 29.  
Prostata apud Hæredes FRID. LANCKISII.





J. N. R. J.

De Professoribus Poëticis per secu-  
lum XVII. à nato Christo in Academia  
Lipsiensi docentibus

ORATIO.



Aciam in præsentia, quod inter  
alia occasione cùm finis tūm  
initii seculi decimi septimi &  
decimi octavi factum esse à  
nonnullis cognitum habeo, in  
compendioque sistam, quod  
præterlapsō nuper Seculo non  
interruptā serie in arte una per distinctas perso-  
nas in certo aliquō loco contigit. Meministis e-  
nīm, A. in duobus præcipuè in confinio, quæ  
dixi, seculorum homines cùm promiscuè omnes,  
tūm præcipuè eruditos versatos fuisse, extitisque  
nonnullos, qui acriter inter se disputaverint, utrum  
septingentesimus post millesimum à Christo nato  
annus, seculum decimum septimum clauerit, an  
principium potius secuturi decimi octavi sit cre-  
dendus: extitis verò etiam alios, quibus, quæ per  
totum decimum septimum seculum in mundo eve-  
nerunt, rebus in compendium redactis in conspe-  
ctum legentium dare, scriptis vel integris libris,

A 2

vel

vel brevibus, cùm, de quibus in Academiis dispu-  
tetur, tùm, quæ rem in notitiam hominum tantum  
deferant, dissertationibus placuit. Quorum alte-  
rum ut quis curiosum meritò dixerit; quodque u-  
tilitatis adeò extantis non sit, ita alterò sane nihil  
excogitari potest, quod vel ad tempus accommoda-  
tius, vel magis pium vel utilius etiam in vita huma-  
nà perhiberi oporteat. Certè natura ipsa exigere  
videtur, ut in fine de rebus anteactis verba fiant,  
quippe quam jamdudum loquaciores senes produ-  
eere credidi, ut recenseri commemorarique in fine  
vitæ possint, quæ per cunctos anteactos annos vel  
audiverunt, vel viderunt, vel senserunt. Et quis  
à munere ullo jam discedit, quin referat, quid aut  
boni aut mali administrati illius tempore contige-  
rit? Nec dicere ante definit orator, quàm factà  
*ἀναπαλαιώσει* denuò Auditoribus proposuerit,  
ad quæ præcipuè attendere eos voluerit. Quin &  
ita pietatem erga Deum præstamus, quem venera-  
mur, quòd & per collata bona felices nos fecerit,  
& in immissis malis fulciverit & conservaverit, &  
in dubiis casibus iter ostenderit, quô inter tot peri-  
cula nihilominus ad statum perventum sit, qui re-  
bus viventium maximè fuerit salutaris. Tumque  
obsequia erga majores omnium optimè exercebo,  
si post longa etiam tempora memoria eorum in-  
animis non solum, sed etiam ore, auribusque po-  
sterorum adhuc hæreat. Quodque etiam ante fa-  
cta in vitâ non civili solum, sed privata etiam non  
sine utilitate commemorentur, vel ex exemplis tam  
oratorum excellentissimorum, quam sollicitorum  
de

de salute domus suæ patrumfamilias colligere est, quorum nullum verba ad suos fecisse de virtutum studio, si rem attentius paulò & consideratiùs tractare vellet, ex sacris non minùs, quam profanis literis constat, qui, quam suasit vitæ instituendæ rationem repetitis ex antiquis temporibus factis aut similibus aut dissimilibus, commendatiorem, magisque sequendam reddere non tentaverit. Atque equidem vobis, A. nunc non recitabo, quæ in hoc negotio à Viris clarissimis, celeberrimisque jam facta sunt. Nostri omnes ipsi melius me. Et longè angustioribus, quæ mihi recitanda nunc est, oratio carceribus includitur, quam in quibus tanta materiæ tam copiosæ amplitudo, prout meretur, explicari possit. Ex quâ ad præsentem tamen solennitatem ante alia fortè non male quadrabit, eruditissimum disertissimumque scriptum, quô ex summe Reverendo Ministerio urbis hujus non exsuperabili augendæ partæ jam incomparabilis scientiæ literariæ aviditate Vir non Solum Rectores Academiæ hujus Magnificos, quotquot hoc munere ab initio seculi nuper elapsi, usque ad terminum ejus functi sunt, ordine recenset, sed &, quemadmodum, quæ, donec ipsi rerū summæ præfuerūt, memorabilia occurserunt, omnia expedit, ita in Magnifico, quem veneratur, Socero, cùm multa alia, tūm illud in primis felicitatis genus deprædicat, quòd Rector Magnificus per duo secula vixerit, in tanta dignitate & decimum septimum compleverit, &, quod hoc excipiebat, decimum octavum inchoaverit. Et possum fortassis, vel in hoc ipso etiam.

festō, seu meditationē tām jucundām, tām piām,  
tām utilem continuare, seu similem non inepto i-  
mitamine producere. Quid alienum enim à loco  
vel à tempore facturus forem, si recenserem ordi-  
ne, & qui Decani in Cōmunitatē Philosophicā  
fuerint, & qui Pro-Cancellarii munus in promotio-  
nibus Magistrorum administraverint; & quā ratio-  
ne, quāque vel felicitate vel infelicitate promotio-  
nes ipsæ celebratæ & peractæ fuerint. Sanè in  
promptu habeo, quod M. Johannes Fridericus  
Wolffshusio Francus, tūm Physices Professor Pu-  
blicus Decanatum gesserit, quum decimum septi-  
mum seculum decimum sextum exciperet, & quod  
conjunctionissimus Collega M. Hieronymus Dicelius,  
Smalcaldiensis, Professor Matheos Extraordina-  
rius, in eadem dignitate extiterit, quum post centum  
annos iterūm præterlapsos & decimum septimum  
seculum clauderetur, & decimum octavum initium  
sumeret. In promptu habeo seculi præterlapsi  
proximē in promotionibus Philosophicis Pro-Can-  
cellarium primum M. Georgium Feigium, tūm Fa-  
cultatis Assessorem, post Medicinæ Doctorem & Pro-  
fessorem; ultimumque L. Antonium Guntherum,  
Heshusium Saxonem, Organi Aristotelici Professo-  
rem Publicum, qui ipse etiam Johannis Baptista Fe-  
sto Anni seculi ultimi morte extinctus est, extitisse.  
In promptu habeo, quod ordinario tempore & con-  
suetis ceremoniis & prima & ultima Promotio Ma-  
gistrorum seculi celebrata fuerit; quodque in illa  
vigésimo nono Januar. quindecim, hac verò, qua-  
draginta quatuor Magistri vigésimo quinto Janua-

rii renunciati publicè fuerint. Sed nec defunt etiam res memorabiles, quæ per centum annorum decursum simul contigerunt. Et in Decanis quidem notandum judico, quod M. Hieronymus Recklebenius ex natione Misnica, cum Joachimus Pollio ex natione Polonica Decanus, ad Diaconatum Vratislaviensem vocatus, non amplius Decanus esse posset, nullusque ex Polonis superesset, in reliquum tempus Decanatus Polonici Decanus factus esset, inque Promotione adeò Magisteriali anni millesimi, sexcentesimi, trigesimi quarti Pro-Cancellariatum Nationis Misnicæ, & Decanatum Nationis Polonicæ simul administraret. Quod quidem alias factum non est. Nunquam enim harum Nationum Decanatus & Pro-Cancellariatus simul, inque unam adeò personam incidere possunt, si res suo ordine currant. Quanquam in Natione Bavarica & evenire possit, & evenerit etiam per præterlapsum seculum anno millesimo sexcentesimo decimo nono in M. Johanne Friderico, & iterum in eodem anno millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, anno autem millesimo sexcentesimo trigesimo primo in M. Andr. Corvino, & anno millesimo sexcentesimo septuagesimo nono in Excel lentissimo nostro Christophoro Pfautzio. Notabile est, quod Andreas Corvinus Bavarus Decanus electus est in Natione Polonica anno millesimo sexcentesimo trigesimo octavo præterito M. Leipnützio, ejusdem Nationis Assessore, propter causam, quod Leipnützius nondum triennium in Facultatis confessu compleverat. Memorabile est,

A 4

quod

quod per hoc seculum nullus Decanus, dum Decanus fuit, mortem oppetiit. Quo ipso Facultas Academiæ totâ felicior extitit, in cuius capita bis mors sœviit, dum & D. Christophorum Preibisium, & D. Gottofredum Schilterum, utrosque Silesios, Rectores abstulit. Pro singulari ulterius habendum est, quod Hieronymus Kromayerus tribus vicibus non interrupta serie in Natione Misnica Decanatum gessit, nempe in æstatibus anni millesimi, sexentesimi quadragesimi; millesimi sexentesimi quadragesimi secundi; millesimi sexentesimi quadragesimi quarti. Nullus enim Assessor erat eō tempore in Natione dicta, qui per tres annos in Facultate jus suffragiorum habuisset. Non præter eundum existimo, quod & absentes Decani facti, quemadmodum munus istud & M. Müllero anno millesimo sexentesimo quinquagesimo nono in causa Facultatis in aula hærenti, & anno millesimo sexentesimo octogesimo primo Seniori jam ex Professoribus Philosophicis nostris reverendo L. Ottoni Menckenio ex indulitu Potentissimi Patris Patriæ peregrinanti oblatum fuit. Nec transeo, quod anno millesimo sexentesimo quinquagesimo septimo Rector Academiæ Magnificus, Gottofredus Sluterus simul etiam Communitatis Philosophicæ Decanus fuit. Tantumque adeò semel in medio elapsi seculi accidit, quod in primo incepti nuper jam anno in Amplissimo Collega Joh. Gottlieb Hardtio, Metaphys. Prof. Publ. habuimus. Quin adjiciendum denique est, quod nullus Decanatum pluribus, quam octo vicibus gesserit.

Quam

Quam summam & Conradius Bavarus, & L. Andreas Corvinus & L. Philippus Müllerus attigit. Sed nec pauciora in Pro-Cancellariatu occurrunt, quæ rara sunt. Inter quæ primum est, quod fuerunt, in quibus Rectoratus Academicus cum Pro-Cancellariatu Philosophico concurrit. Visus enim Rector & Pro-Cancellarius simul fuit Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo David Schwertnerus; anno millesimo sexcentesimo sexagesimo primo Joh. Adamus Scherzerus; millesimo sexcentesimo septuagesimo tertio Valentinus Alberti; millesimo sexcentesimo octogesimo secundo & iterum millesimo, sexcentesimo nonagesimo Magnificus jam Facultatis Theologicæ Decanus D. Adamus Rechenberg. Sed & secundò exempla habuimus Pro-Cancellariorum mortuorum. Paulò enim, post quam Candidatos Magisterii invitaverat, defunctus est febri anno millesimo sexcentesimo tricesimo secundo ex metu cum belli, tum pestilentiae contracta M. Gottofredus Raspius Philosophæ Dialecticæ Professor, in cuius locum ab ipso Raspio in mortis causam substitutus M. Christianus Schumannus novo ex aula Martisburgensi diplomate confirmatus est. Quod idem etiam evenit anno millesimo sexcentesimo, trigesimo octavo. Extinctus enim erat peste M. Müllerus, Facultatis Assessor, & antea organi Prof. Publ. sed tunc simul Notarius Senatus Nobilissimi primarius. Oportebat igitur in ejus locum, qui ei loco proximus erat, L. Zachariam Schneiderum per novas Serenissimi Cancellarii literas confirmari. Quod

A 5

ipsum

ipsum tamen munus Schneiderus non ipse postmodum, sed per Decanum ejus temporis Andream Corvinum obiit. In Promotionibus ipsis & Candidati & tempus Promotionis & apparatus ratio commemoranda videntur. In Candidatis observo, & initio & fine seculi plerumque non paucos fuisse, qui Magistri creati fuerunt, juvenes; in medio vero paucos admodum Candidatos se obtulisse. Pro cujus rei causâ calamitates cum bellicæ tum pestiferæ accipiendæ sunt, quæ medium ferè Seculum infestarunt. Et aliquoties quidem plures, quam triginta Candidati extiterunt, non nisi ter autem plures, quam quadraginta, semel anno millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, quo tempore quadraginta quinque, iterum anno millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto, quo quadraginta sex, & ad postremum anno millesimo septingentesimo, quo quadraginta quatuor Doctores Philosophiae renunciati fuerunt. Et in universum per totum seculum bis mille trecenti & quatuordecim, Magisterii insignia titulumque acceperunt. Nec semper admissi fuerunt, qui gradum hunc ambierunt. Rejected enim sunt nonnulli, vel, quia non omnia fecerunt, quæ fieri statuta præscribunt, vel quia eruditione exigua instructi reperti sunt. Miraberisque etiam in primis, quod anno millesimo sexcentesimo quadragesimo Pro-Cancellario Conrado Bavaro, & Decano Friderico Leipnützio Magister Bullatus, Daniel Petermannus, Taubenheimensis Misnicus, Magistri titulò à Comite quodam Palatino in hac urbe accepto repudiato, inter catetros

ros Candidatos denuò Magistrum se renunciari passus est. Ratione temporis meminimus, non semper in Januario Magistros factos esse, sed distributionem honorum istorum in alios menses, nunc Februarium, nunc Aprilem, nunc Majum protractam fuisse. Sique causas spectemus, diversa ratione res contigit. Fuit enim, quo differri honores oportuit ob tumultus bellicos, ut anno millesimo sexcentesimo trigesimo secundo, in Majum Mensem; fuit, quo ob pestem, anno nempe millesimo sexcentesimo octogesimo primo in Mensem Aprilem; fuit, quo ob exequias Potentissimo Patri Patriæ Joh. Georgio I. Electori Saxoniæ glorioſiſſimæ recordationis faciendas anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo in Februarium; fuit, quō ob exiguum Candidatorum numerum in Majum, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto. Quo tempore septem tantum fuerunt, quibus dignitas Magisterialis conferri potuit. Ratione apparatus maxima mutatio contigit anno millesimo sexcentesimo octogesimo sexto. Urgente namque necessitate ex copioso cùm ciborum, tūm hospitum respectu convivio contractius factum fuit, & ratione sumptuum impendendorum, & ratione convivarum, qui ad prandium invitabantur. De tot memorabilibus igitur rebus, quæ circa Decanatum, Pro-Cancellariatum, & Promotiones Magisteriales contigerunt, annon Dissertatio peculiaris conscribi possit? Et creditis fortasse jam etiam, in hac re versaturum præsentem meum laborem? Sed non versabitur. Quomodo enim  
tan-

tantæ materiæ copiæ enarrandæ breve temporis spatiū par sit? Nec tantum mihi, sed aliis etiam, imprimisque Tibi, Decane Spectatissime, convenire videri possit ejusmodi res tractare. Ego & brevius argumentum & ad me solum pertinens affecto. Itaque de Professoribus solum Poëticis, qui per clausum nuper seculum in hac Academia vixerunt, verba ita facere constitui, ut ante duos annos & in carmine Panegyrico Magisteriali, & in sequente autumno per prolixiorem Dissertationem Poëtas recensui, qui per totum seculum recens creatis Magistris solenniter versibus fusis gratulati sunt. Quod verò dum paro, à vobis, A. O. O. H. peto atque contendō, ut benigne benevoleque me audiatis. De Poëtis quidem loquuturus sum, quibus nihil vulgò videtur abjectius contemptiusque. Sed ipse tamen facio pietatis erga Antecessores meos obsequiis studiisque inductus. Et quos in conspectum producturus sum, Viri, si rem vero, non temerato invidiæ superbiæque lolligine judicio æstimare velitis, cùm aliis muneribus, quæ vel simul, vel antea, vel post sustinuerunt, tùm imprimis etiam doctrinâ Poëticâ, quam tractaverunt, non inclito solum Ordini Philosophico, ornamento fuerunt singulari, sed toti etiam in commoda Ecclesiæ ordinato à Deo literarum circulo emolumento non vulgari & commodo.

Egregias etiam res accepturi sitis, A. si per tempus & instituti rationem liceat ad ulteriora Academiæ tempora recurrere, simulque videre, quinam doctrinam Poëticam publicis stipendiis in decimo sex-

sexto seculo proposuerint. Nihil enim incomparabilius, nihil elegantius, nihilque cultius viris istis fuisse, vel exemplo patefieri possit unius Gregorii Bersmanni, qui Poëtis explicandis præsedid ab anno millesimo quingentesimo septuagesimo primo usque ad mortem Joachimi Camerarii extincti anno millesimo quingentesimo septuagesimo quarto. Ex quo utramque linguam & Ethicam doctrinam docuit usque ad annum millesimum quingen-  
 tesimum, octogesimum. Sed de hoc quidem quamquam omnia prætereunda sunt, & quod Annæbergæ in Misnia natus fuit, & quod in Electorali Misenensi Schola Georgium Fabritium audivit, & quod in Academia Lipsiensi cum humanioribus literis Medicinam amplexus studium istud per Galliam & Italiam continuavit ; & quod ab Electore Saxoniarum in Scholam Portensem ut præceptor missus inde digressus in Academia Wittebergenensi Professor factus ex eâ ad explicandas poetas, ut prædixi, accersitus est ; sed illud tamen à me impetrare non possum, ut taceam, quod anno millesimo quingentesimo octogesimo, cum Formulae Concordiae subscriendum esset, Bersmannus subscribere recusans à Professione dimissus, postmodumque à Principibus Anhaltinis Servestam vocatus, Gymnasi recens constituti Rector factus fuerit. Ad quod verò consilium (recusandi nempe formulam concordiae) quemadmodum studio Philippi Melanchtonis adductus fuit, ultimo vitæ tempore ad partes Calvinianas propensioris, cum cuius amicissimi, Joachimi Camerarii, filiis & familiâ cùm

in

in Schola Misenensi, tūm in Academiā Lipsiensi familiarissimē vixit Bersmannus, ab iis etiam, quantum fieri potuit, ad res altiores promotus, ita etiam odium suum erga eos, qui dictis sic Crypto-Calvinianis se opponebant, postquam Servestam delatus erat, nullā non occasione prodidit. Scribit enim aliquando ad Philippum Camerarium, Joachimi filium, honorificam Philippi Melanchthonis nominis usurpationem, sicut & aliorum de Ecclesia Christi JESU & Scholis totius Europæ benemeritorum Virorum plerisque nunc fraudi esse, apud discipulos potissimum eorum ingratos, qui doctrinæ uberioris nectare ab iis imbuti, doctores optimos, sicut matrem pullus, postquam lacte saturatus est, calcibus impetant: se verò cuculorum istorum acerbitatem, vel potius rabiem, tantillum non morari, ut ipsorum procacitatis & futilitatis vesania & maledicendi ac calumniandi impotente libidine se absterri patiatur ab honestâ appellatione virorum laude omni majorum, sive rabiosuli isti quidem hirsutum se, sive calvum ducant. Imò propiùs paulo ad calamitatem Lipsicam, quam sensit, respiciens in Nicolaum Selneccerū, quo nomine publico præsente & postulante Formula subscribenda Professoribus Lipsiensibus proponebatur acerbissimē invehitur, in præfationibus nonnullis. In Epistolisque etiam parti alteri poematum subjunctis, post multa alia, quæ in ipsum conjiciuntur, convitia Ψυχοφόντης appellatur, quasi nomen ejus Selneccer vox hybrida, & ex Germano Latinoque idiomate composita hominem notet, qui animas necet. Resque eadem & in  
iis-

iisdem epistolis & Germanica voce & Græca fistitur. Est enim ubi *Selhencfer* / est etiam, ubi *Psy-*  
*chomastix* vocatur. Quin expressius ipse Bersman-  
 nus in Epigrammate sequenti idem profert, quod  
 Allusio ad cognomen Seln. inscribitur:

Seu patriæ auspicio lingua, seu voce Pelasga  
 Deducam, rabula quod patre nomen habes,  
 Ex re, Nane, geris, quia funes necis arena,  
 Mortiferis animas dogmatibusque necas.

Quod dum recito, parum abest, quin vehementer  
 in Servestam indignationem concipiam, quippe  
 quæ præstantissimos Poëtas non unos ex Academia  
 nostra ad partes eorum, qui magis reformatam Ec-  
 clesiam jactant, quâm quæ à Lutherò purgari cœpta  
 est, protraxit. Neque enim id in Bersmanno solo  
 temporibus, quæ seculum, de quo scribimus, ante-  
 cesserunt, contigit, uti jam dictum est. Sed ad Re-  
 formatos eosdem etiam Servestam ipso seculo de-  
 cimo septimo accessit post multos Rectoratus, quos  
 in Scholis administravit, nempè Numburgensem,  
 Mülhusinum, Ambergensem, Bernburgensem, Pro-  
 fessor Theologiæ in Gymnasio & Pastor in Ecclesia  
 Servestana, ut & Superintendens Anhaltinus factus  
 Christianus Becmannus, Borna Misnicus, inter Pro-  
 fessores Poëricos nostros vel ideò non omittendus,  
 quod in promotionibus Magistrorum Lipsiensium  
 non tenuis solum vicibus anno millesimo sexente-  
 simo quinto, millesimo sexentesimo sexto, millesi-  
 mo sexentesimo septimo panegyristen egit, sed post  
 mortem quoque Johannis Albini anno millesimo  
 sexentesimo septimo inter Competitores professi-  
 onis

onis Poëticæ fuit, favoreque aulæ non una impedi-  
menta M. Cunrado Bavarо, quanquam non pro-  
spero tandem ex parte ipsius eventu, objecit. Pri-  
mus omnium ad tempus referri potest, de quo ver-  
ba fiunt, M. Johannes Albinus. Ex hac vita enim ut  
Professor Poëticas discessit anno millesimo sexente-  
simō septimo. Et de eo etiam non pauca suppetunt,  
quæ dici possint. Pertinuit ad Nationem Bavari-  
cam. Coburgensem enim se scripsit. De Com-  
munitate Philosophica egregiè meruit, quoniam  
Agenda Ordinis hujus & emendavit & auxit, & in  
ordinem rededit, publico præmio etiam ob hanc o-  
peram exornatus. Et Adjuncti etiam rationibus  
Decanalibus partes usque ad conventum Gregoria-  
num anni millesimi quingentesimi nonagesimi  
quarti gessit, quo tempore resignavit Matthæo  
Dressero imponendas. Adhæc laudabiliter De-  
canatum Philosophicum quinques per semestre hy-  
bernū, ut Francus, primā vice anno millesimo  
quingentesimo septuagesimo, & ultima anno mil-  
lesimo sexentesimo quarto suscepturn admini-  
stravit, non minus, ut totam Academiam per Re-  
ctoratus totidem non vulgaribus meritis sibi ob-  
strinxit. Sed & ipse per totum illud tempus Acade-  
micus fuit, per quod non parvi motus religionis  
causâ paulò ante & post Formulam Concordiæ &  
conscriptam & introductam cùm in provinciis o-  
mnibus, tūm in hac quoque urbe ab iis excitati fue-  
runt, qui protrusis contra orthodoxam doctrinam à  
Calvino, aliisque sententiis haud prorsus obscurè  
fayebant. Proque temporum adeò conditione non  
unis

unis varietatibus obnoxius fuit; quandoquidem contigit, ut quo tempore Poëtices Professor ipse audiebat, hoc titulo quippe in actis publicis & anno millesimo quingentesimo octogesimo quinto, & anno millesimo quingentesimo nonagesimo octavo insignitus; intermedio spatio nihilominus & Decano M. Georgio Bachmanno Freibergensi, cùm in reformatione Academica, quæ die vigesimo nono Augsti anni millesimi quingentesimi octogesimi octavi ab Electore Christiano, glorioissimæ recordationis suscepta erat, quædam etiam ad Facultatem Philosophicam spectantia mutarentur, Poëtica Professio ad Decanum Bachmannum devolveretur, & cū Bachmannus ad Rectoratum Luneburgensem anno millesimo quingentesimo octogesimo nono abiisset, resignata Professio Poëtica M. Joachimo Tanckio Perlebergensi committeretur, quam anno millesimo quingentesimo nonagesimo primo Licentiatus, & millesimo quingentesimo nonagesimo quinto Doctor Medicinæ adhuc habuit. Sed hæc vel omnia, vel pleraque ad tempora pertinent, quæ seculum nuper præterlapsum antecesserunt, præteririque adeò pro instituti ratione debent. Ex qua eadem etiam causa de me ipso & rebus meis nihil proferam. Tametsi namque ab anno millesimo sexcentesimo nonagesimo primo in eodem munere constitutus sum, in quo Albinum vita anno millesimo sexcentesimo septimo reliquit, sed quia tamen seculum decimum septimum prætergressus, jam in decimo octavo Poëtas interpretor, malo & ipse ad hujus potius tempora, quam ad ea reduci, quæ inter Albini & meam Professionem interjecta sunt.

Quanquam non est, quare rerum circa me actarum  
 pudere me oporteat. Quidni recenseri enim pos-  
 sit, quod Königsfeldæ natus sum, in pago ad agrum  
 Rochlitiensem pertinente, Patre M. Daniele Erne-  
 sto Pastore ejus loci, matreque Christina, Jacobi  
 Hermanni, Consulis Rochlitiensis filia, anno millesimo  
 sexcentesimo quinquagesimo secundo die du-  
 odecimo Martii ipso Gregorii festo? Quidni aperi-  
 am, quod prima literarum elementa cum à Patre  
 ipso, tūm Fratre M. Jacobo Daniele Ernesto, Pastore  
 illo tempore Cribitschensi, nunc Archidiacono Al-  
 tenburgensi, viro à scriptis tot cūm sacris tūm histo-  
 ricis in orbe non incognito, postque illos in Schola  
 Altenburgensi imbibi? Cur gratus non fatear, quod  
 anno millesimo sexcentesimo septuagesimo primo  
 ad Academiam hanc delatus Professores excellen-  
 tissimos cum in Philosophia Franckensteinium,  
 Thomasium, Fellerum, Heshusium, Menckenium,  
 tūm in Theologia Scherzerum, Rappoltum, Leh-  
 mannum, Moebium audivi. Quid taceam mune-  
 ra in me ex favore tām Nobilissimi Senatus, quām  
 Communitatis Artium, patrocinioque imprimis il-  
 lustris Viri Jacobi Bornii, JCti Summi, & Potentissi-  
 mi Poloniarum Regis & Electoris Saxonie Consi-  
 liarii intimi collata, Assessoram in Collegio Philoso-  
 phico, potestatem habendarum in templo Nicolai-  
 tano Concionum Sabbathicarum, Con-Rectoratu-  
 rum Scholæ Thomanæ in vere, aestate, & autumno  
 anni millesimi sexcentesimi octogesimi; Scholæ  
 jam dictæ Rectoratum anno millesimo sexcentesimo  
 octogesimo quarto; Professionem Poeticam.  
 anno millesimo sexcentesimo nonagesimo primo

ca-

acceptam , quodque interea , dum Communitatis Philosophicæ Collega existo , Decanatum quinque administravi , inque Promotionibus Magistrorum Pro-Cancellarii munere tertia vice nunc fungor ? Sed modestius tamen est , hæc & similia de me alios potius , quam me ipsum exsequi . Itaque missis omnibus ad reliquos tantum Poëtices Doctores accedo , qui præter Albinum & me in decimo septimo seculo vixerunt . Sicque sex imprimis Viri nominandi erunt . Primus Conradus Bavarus ab anno millesimo sexcentesimo septimo usque ad annum millesimum sexcentesimum trigesimum . Secundus , Joh. Stephanus Verbesius , ab anno millesimo sexcentesimo trigesimo usque ad annum millesimum sexcentesimum trigesimum primum . Tertius Christophorus Buhlæus ab anno millesimo sexcentesimo , trigesimo primo usque ad annum millesimum sexcentesimum trigesimum quintum . Quartus Andreas Rivinus ab anno millesimo , sexcentesimo trigesimo quinto usque ad annum millesimum sexcentesimum quinquagesimum sextum . Quintus Fridericus Rappoltus ab anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto usque ad annum millesimum sexcentesimum & septuagesimum . Sextus Joachimus Fellerus ab anno millesimo sexcentesimo & septuagesimo usque ad annum millesimum sexcentesimum nonagesimum primum . Patrio solo hi Viri quām maxime differunt . Nati enim sunt Bavarus & Rivinus Halis Saxonum ; Verbesius in Carnia , vel ut in actis Philosophicis commemoratur , in Styria ; Buhlæus Kötschenbrodæ , qui vicus est milliari uno Dresdâ

distans versus Misenam ; Rappoltus Reichenbachii  
 in Variscia ; Fellerus Cygneæ in oppido Misniæ.  
 Deprehendimusque adeò, si loca hæc inter se con-  
 ferantur, tres præcipue Nationes ex quatuor istis,  
 ex quibus Academia hæc constat, Doctores Poëti-  
 cos Lipsiæ suppeditasse, & duos quidem Nationem  
 Saxoniam, Bavarum & Rivinum, duos Nationem  
 Misnicam Buhlæum & Rappoltum, duos etiam Na-  
 tionem Bavaricam, Verbesium & Fellerum, hunc-  
 que quidem inter Bavaros censendum, non quod  
 in provincia natus est, quæ ad Nationem Bavaricam  
 ex instituto Academiæ referri debet, sed ex  
 gratia & beneficio Potentissimi Electoris Saxoniae,  
 à quo anno millesimo sexcentesimo septuagesimo  
 nono ex Misnicis ad Bavaros translatus est. Atque  
 in hac quidem re ut illud mirari quis possit, quòd  
 et si communi hominum multorum judicio Silesia  
 in primis Poëtis generandis patria facta est, nullus  
 tamen in toto hoc seculo ex Polonica Natione exti-  
 terit, qui Poëtas publico stipendio interpretatus sit,  
 idq; hoc magis, quod ne quidem ex antecedentibus  
 & sequentibus temporibus ullus narrari potest, qui  
 Polonis accenseatur, siquidem, qui in seculo XVI.  
 in hoc munere versati sunt, Georgius Masbachius,  
 & Johannes Albinus Baveri, Maximus Görizius,  
 Gregorius Bersmannus & Georgius Bachmannus  
 Misnenses, primus quippe Martisburgensis, secun-  
 dus Annaæbergensis, tertius Freibergensis, Joachi-  
 musque Tanckius Perlebergensis, adeoque Saxo  
 fuerunt, & qui in seculo novo doceo, ego Misni-  
 cus etiam existo : ita vel exinde etiam colligere  
 est,

est, Deum non minus ut in salvandis hominibus, nullam vel sexus vel gentis, vel dignitatis rationem habet, sic & in distribuenda eruditione, eruditorumque fatis, consequendisque ex iisdem dignitatibus non unam gentem solam respicere, nec eodem modo procedere semper, sed pro arbitrio, proutque videt, illustrandæ gloriæ suæ, conciliandisque rerum publicarum Ecclesiæque utilitatibus conducere, nunc quidem ex hoc, nunc ex alio loco viros arcessere, qui modò his, modo illis literis docendis idonei sint, nuncque in gente viros inveniri egregios, quæ vulgo vix videtur producendis istis accommodata, nunc nationem planè præteriri, quæ judicio communi eorum, quæ requiruntur, opulentia judicatur omnium maximè referta. In Parentibus non minor appetet diversitas. Fuerunt enim, quorum Patres ad sacras personas referebantur, ut Buhlæus, natus, cum ex patre Christophoro Buhlæo, Pastore Kötzschenbrodensi, tūm ex matre Maria, Johannis Hestii, Pastoris Palæo-Dresdensis filia. Fuere, quos genuerunt, qui rebus in republīcā profanis administrandis præfuerunt, ut Rivinus & Rappoltus. Utque inter hos alii sunt, qui res temporibus pacis gubernant, alii, qui in bello egregias operas bona publico præstant, sic ex viro to-gato ortum traxit Rappoltus, patrem habens Heinricum Rappoltum, primum quidem Medicum & Pharmacopæum Reichenbachensem, sed postea prætorem Pegaviensem, matremque Reginam Lipoldiam ex Senatore Zizenzi prognatam: Ex sagatis verò prosemnatus est Rivinus, nempè ex Andrea

B 3

Bach-

Bachmanno, Senatore Halensi, sed qui tamen, antequam Senator fieret, multum fortitudinis in bellis cum Turcicis tum Hispanicis edidit, & Dorothea nata Krebsia, à fortitudine vel ideo etiam militari non proorsus aliena, quod cognomine thoracem, quo milites adversus iactus hostiles muniuntur, spirat. Fuerunt denique, qui ab hominibus, quorum operæ in solis rebus domesticis tractandis occupabantur, in mundum editi sunt. Quorsum Fellerus pertinet, qui patre generatus est pannifice Cygneo matreque ex stemmate quidem Siberorum, maximæ in literis humanioribus quondam autoritatis & gloriæ virorum procreata, sed quæ ipsa tamen sorte mariti contenta manuum laboribus vitam, quam sectata est, privatam sustentavit. Et natus quidem est Bavarus anno millesimo quingeniesimo septuagesimo primo; Buhlæus millesimo sexcentesimo secundo; Rivinus millesimo sexcentesimo primo; Rappoltus millesimo sexcentesimo decimo quinto; Fellerus millesimo sexcentesimo trigesimo nono. Eruditi fuerunt à præstantissimis quibusque Magistris cum in Scholis inferioribus, tum in Academiis. Habuerunt enim Præceptores in Schola Illustri Misenensi Bechmannum Rectorem, Gasmannum Con-Rectorem, Hestium Cantorem & Oelschlegelium Collegam Tertium Verbesius & Buhlæus; in Schola Illustri Portensi Kunadum & Kühnium Rappoltus; in Gymnasio Halensi Æschardum & Evenium, duos Rectores Rivinus; in Schola Cygnea Zechendorffium Hebraicarum literarum fama post funera adhuc illustrem,

strem, Deckerum, & in *cœlo* Critico sidus fulgentissimum Daumium Fellerus. Quà studia Academica nullus omnium est, qui non ante omnia, postquam Scholis inferioribus valedixerat, Lipsiam nostram ingressus sit. Audiveruntque pro diversis temporibus Preibisium Physicum, Philippum Müllerum Mathematicum, Fridericum Historicum, Corvinum Oratorem, Johannem Müllerum Organicum, Bavaram Poëtam, Recklebenium Logisticum, Thomasium Oratorem & Ethicum, Franckensteinium Historicum, Sluterum Organicum, Schwenckium Metaphysicum & Dialecticum, Rappoltum Poëtam; prætereaque Heinricum Höpfnerum, Polycarpum Lyserum, Johannem Höpnerum, Vincentium Schmuckium, Christianum Langium, Mauritium Burchardum, Samuelem Langium, Martinum Geierum aliosque consummatæ & eruditio-  
nis & pietatis Theologos. Cumque literis humanioribus morbis medendi rationem Rivinus jungeret, præter Philosophicas operas auditor etiam assiduus in Scholis medicis cum omnium Professorum, tum imprimis Johannis Ruperti Sultzbergeri inventus est. Et Lipsiam quidem solam sectati sunt Bavarus, Verbesius Rappoltus & Fellerus. Ad alias verò Academias excurrerunt etiam Buhlæus & Rivinus. Nam Buhlæus in Academia Wittebergensi à Theologis excellentissimis D. Jacobo Martini, D. Wilhelmo Lysero, & D. Paulo Röbero multa in studio sacrarum literarum hau-  
fit. Inter Musas autem Jenenses cum artes huma-  
niores, tūm præcipue scientia medica Rivini studio

operaque D. Johannis Bredelii insignia incrementa  
 ceperunt. Neque domi solùm, inque Academiis  
 Patriæ vicinis à Rivino scientia rerum collecta est.  
 Sed ipse etiam suscep̄to per Galliam, Angliam, Bel-  
 gium & Germanias, perque duorum annorum spa-  
 tium continuato itinere clarissimis cùm Philologis  
 tūm Medicis partim discipulus, partim amicus in-  
 notuit, Lugduni Batavorum in primis familia-  
 ris factus Danieli Heinsio, Petro Cunæo, Otto-  
 ni Heurnio, & Gisberto Jacchæo, Parisis Petro  
 Bertio, & Antonio Carpentario, Enckhusæ Bern-  
 hardo Paludano, Argentorati Johanni Ringelstei-  
 nio, consuetudinisque in primis peculiaris necessitu-  
 dine conjunctus cum D. Leonhardo Hoffmanno, &  
 D. Matthæo Untzero, Medicis Halensibus. Post lau-  
 dabiliter tractata tūm in audiendis lectionibus, tum  
 habendis disputationibus & orationibus, tum in-  
 formandis etiam aliis studiis, munera etiam publi-  
 ca ante nacta sunt, quām interpretandorum Poëta-  
 rum provincia injuncta fuit. Facti enim omnes  
 præstis præstandis, & habitis præcipuè duabus pro  
 Loco, quas vocant, disputationibus Assessores sunt  
 Communitatis Philosophicæ. Receptus enim in  
 Collegium hoc fuit anno millesimo quingentesimo  
 nonagesimo septimo Bavarus in conventu Grego-  
 riano; anno millesimo sexcentesimo vigesimo sexto  
 Verbesius in eodem; anno millesimo sexcentesimo  
 trigesimo Rivinus in conventu Ægidiano: anno  
 millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto Rap-  
 poltus in conventu Gregoriano, & facta quidem tam  
 inspectione schedularum, ut loquimur, quām rece-  
 ptio-

ptione ob defectum, qui ex ejus Natione in Communitate erant, Collegarum simul. Nec discri-  
men ratione hujus muneris faciendum est ullum.  
Tamen si namque Buhlæus & Fellerus non prius Fa-  
cultatis Collegæ extiterint, quam Professores facti  
essent; non minus tamen, ut cæteri habitis disputa-  
tionibus pro Loco jus ad Facultatem acceperant,  
solo eo, quo minus reciperentur, impediti, quod  
locus non vacaret; cingendosque adeo pro cinctis  
haberi eos oportuit. Imò aliis etiam muneribus  
præsederunt, antequam ad Poëtarum interpreta-  
tionem accederent. Inter quæ ut in solo Rappolto  
Professio Dialectica, ad quam anno millesimo sexcen-  
tesimo quinquagesimo primo, quum mortuus Pre-  
bisius Physicam lectionem Ittigio, Ittigius Organica-  
m Slutero, Sluterus Dialecticam Rappolto reli-  
quisset, pervenit, conspiciebatur: ita & reliqui o-  
mnes unà cum ipso Rappolto Scholasticis functio-  
nibus vel jam præfuerant, vel adhuc præsidebant,  
vel destinati erant. Bavarus & Rivinus jam præ-  
fuerant. Bavarus enim abiit anno millesimo quin-  
gentesimo nonagesimo nono ad Gymnasium Tho-  
runiense, & anno millesimo sexcentesimo secundo  
Lipsiam ad Assessuram Philosophicam reversus  
est. Rivinus vero, antequam Assessor siebat, per-  
tres annos Rectoratum in Scholâ Nordhusana ad-  
ministravit. Inter eos, qui in functione Scholasti-  
ca Poëta facti sunt, Verbesius ex Con-Rectoratu  
Portensi vocatns fuit. Rappoltus & cum Con-Re-  
ctoratu Scholæ Thomanæ, & cum Rectoratu Scho-  
læ Nicolaitanæ Lipsiensis Poëtarum interpreta-

nem conjunxit. Fellerus verò tertius Collega Scholæ Nicolaitanæ oppidanæ esse desit, postquam munus Poëticum à Potentissimo Electore Saxoniæ suscipere jubebatur. Ad postremum Buhlæus quidem in Scholâ non vixit, cum Professor fieret, sed ad munus tamen Scholasticum in Schola Portensi à Proto-Synedrio Dresdensi destinatus fuit. Retulitque ipse ad Communitatem Philosophicam, poscentem ab eo, ut collatam ab aula Professionem ipse recusaret, cum promotio ejus aliquid novi inferre videretur, compotem se votorum Facultatem facere non posse, quod verendum sit, si hanc gratiam æque, ac istam, quam ad Scholam Portensem ire jussus esset, repudiaret, ne frustra imposterum munus aliquod iterum ab Electore petiturus esset. Ex hac verò re facilè intelligitur, quantum à constante per integrum seculum tam Potentissimæ aulæ, quam accurata rerum, rerumque causarum consideratione, subactissimi Collegii judicio discrepent susurrationes obtrectationesque nonnullorum fastuosæ inquam? an inquinatis invidæ avaritiæ sordibus turpes, quibus homines in Scholis existentes ne dignos quidem munere Academico aut inconsulta sententia verè credunt, aut necessario ad cupiditates proprias velandas prætextu divulgant. De quibus tamen quid opus est queri, quum spes non sit emendatum iri? Gaudeant doleantve suis aberrationibus. Mihi dudum placuit, placebitque semper, quod de Rappolto nostro in programmate funebri scripsit Fellerus noster: Scholasticum agere, inquiens, non dedecori, sed laudi sibi ducebat, nihil pensi habens

bens sinisteritatem temporum, quibus, qui juven-  
tutem in Scholis moribus literisque imbuunt, ne-  
gliguntur passim, immo scenarum ostentatione (ad-  
do ego; plebeiorum foemineorumque conventicu-  
lorum atque comeditionum promiscuis sermoni-  
bus & deblaterationibus) traducuntur. De tem-  
pore, quo singuli ad munus Poëticum pervenerunt,  
non necessarium est, iterum nunc dici. Nam su-  
pra jam omnia annotata sunt. Id autem dissimu-  
lare non possum, autorem, qui anno millesimo no-  
nagesimo octavo vitam Buhlæi, simul cum vitis a-  
liorum, qui Superintendentis munus in Electorali  
Dresdensi sustinuerunt, edidit, duplicem errorem  
commisisse, quando commemorat, post mortem  
Conradi Bavari Buhlæum Professorem Poëseos in  
eius locum factum esse. Nam falsum principio est,  
id contigisse post mortem Bavari. Neque enim  
Bavarus morte sublatus vacuam Professionem reli-  
quit alteri committendam, sed postquam post mor-  
tem Johannis Friderici utramque linguam & hi-  
storiæ docere cœpit, in qua re per tredecim adhuc  
annos, & ultra, ut post audiemus, versatus est. Ne-  
que Poëtas secundò statim tractare Buhlæus cœ-  
pit, postquam ad aliam Professionem Bavarus trans-  
latus est. Nam Bavari successor Verbesius fuit, quem  
post elapsum fermè annum Buhlæus demum secu-  
tus est. In modo, quo Professiones vel ambierunt  
vel acceperunt, omnia recta fuerunt & accurata.  
Omnes & operas suas Communitati Philosophicæ  
obtulerunt, & Potentissimis Electoribus Saxonie à  
Communitate præsentati fuerunt, & à Principibus  
etiam

etiam confirmationem, ut loquuntur, consequuntur. Quandoquidem verò, Plinio judice, nemo emergere potest, nisi laudatores, commendatores Patronique existant, quarum operā compotes votorum fiant Candidati, facilè etiam vobis, A. significare potuero, quorum intercessionibus & operis singuli Professorum nostrorum Poëtæ facti sunt. Et nemo quidem est omnium, cui non Communitas Philosophica ipsa collatae dignitatis origo credi debat. Sed facile tamē etiam demonstrari potest, ante alios Competitoribus suis Facultatis studiis antelatos fuisse Rappoltum, Rivinum atque Bavarum. Idque studium in eligendo Bavarō tam enixum fuit, ut in aulam Matthæum Dresserum & Johannem Fridericum mitteret ad removenda impedimenta à Competitoribus Bavarō objecta, quæ etiam sustulerunt. Sed nec aliis etiam alii defuere Patroni, quorum auxilio impetraverunt, quod desideratum est. Singularem Promotorem Verbesius habuit in Jo-hanne Seusio, Ecclesiastici Consistorii Supremi Secretario, Viro, uti omni eruditione, inprimisque etiam literis humanioribus maximè tincto & exculto, ita & literarum Patrono magno, aque literarum elegantiorum cultoribus passim & implorato & laudato, ut non sine prædicatione singulari ad istum non Buchnerus modò literas subinde scripsit, sed versus quoque Poëtæ, quemadmodum quamplurimi, sic in primis Zuberus & Taubmannus miserunt. In promovendo Buhlæo magni fuit opera D. Davidis Döringii Cameræ Consiliarii Electoralis. Rappolto Patronus succurrebat

bat Per Illustris Dominus Fridericus à Metzsch/ Ha-  
 reditarius in Reichenbach & Proto-Synedrii Electo-  
 ralis Præses, ad amandum Rappoltum impulsus non  
 tantum, quod singulares ejus doctrinæ opes ex te-  
 stimoniis fide dignis cognovisset, verùm etiam,  
 quod in urbe, cuius ipse Dominus esset, Reichen-  
 bachii lucem adspexit. Nec prædicare satis,  
 quamdiu vixit, Fellerus potuit, quanta facilitas ipsi  
 in consequendis rebus, quas desiderasset, ex bene-  
 volentia Summe Reverendi D. Martini Geieri, E-  
 lectoralis Confessionarii & in Proto-Synedrio Ec-  
 clesiastico Senatoris orta esset. Postquam oblata  
 munera suscepserunt, non facile verbis exprimi pot-  
 est, quanta eruditione, studio, orbisque eruditii com-  
 mendatione & gloria res suas tractaverint. Est Pro-  
 fessorum Poëticorum, ut non modò cum reliquis  
 Collegis res & jura, ut Sacramenti religione ad-  
 stringuntur, Communitatis suæ non debilitent aut  
 infringant, sed conservent & augeant; verùm et-  
 iam imprimis, ut cum libros Poëticos tam veterum  
 quam recentiorum auctorum explicit & interpre-  
 tentur, tum carmina quoque oblata quacunque oc-  
 casione, & ad exempla veterum imprimis compo-  
 nant. Sed nullum horum omnium proferri pote-  
 rit, in quo Poëtae nostri quam maximè non excel-  
 luerint. Bavarus carmina elaboravit, & in publica  
 non Universitatis modò, sed totius Urbis solenni-  
 tate, quo tempore duo Jubilæa celebrabantur, &  
 anno millesimo sexcentesimo nono, secundum à  
 fundata Academia, & anno millesimo sexcentesimo  
 trigesimo primum ab oblata Imperatori Carolo V.

Au-

Augustæ Vindelicorum Lutheranorum Confessione. Quorum posterius vacante Professione Poëtica, cum ipse jam historiam doceret, novus autem Professor Verbesius ex Schola Portensi nondum adesset, factum fuit. Verbesius, quia per breve temporis spatium Professioni præfuit, nondum annum in munere isto exigens, in ipso munere quidem carmina typis publicasse non visus est. Sed apparet tamen ex gratulatorio solenni, quo Magistrorum quadraginta quinque simul creatorum, qua copia Candidatorum dignitas Philosophica summa nunquam antea collata fuerat, laudes pridie Calendarum Februarii anno millesimo sexcentesimo vigesimo tertio deprædicaverat, nihil præstantius Musis illius censeri potuisse, si diu versibus faciendis præfuisset. Buhlaei scripta Poëtica quis enumeret, & antequam Professor fieret, & postquam Professor fuerat, facta &c in lucem emissæ, seu Cunas Christi seu Charitillam, id est, Phalæciorum Promulgidem, sive alia intueamur? Rivinus & in festo solenni, quod ob pacem Pragæ factam anno millesimo sexcentesimo trigesimo quinto, ut in tota provincia, sic Lipsiæ in primis celebrato cultum carmen in Auditorio Philosophico recitavit, & cum lecto affixus esset ægrotus, antequam moreretur, epigrammata in historiâ passionis Christi fudit, simul cum concione funebri impressa, in quibus nesciam an pietatem, an Charitas Poëticas magis mirer. Quem verò non confundit majestas Rappolti cùm in omnibus carminibus, quæ conficit, tūm in primis in Exequiis Potentissimi Electoris

Saxo-

Saxoniæ Joh. Georgii I. cumque Successori ejus Joh. Georgio II. fidem solenni Sacramento Academia adjungeret, radios fulgentissimos vibrans. Nec erit facile, quem non patefacta post innumera alia in funeribus cùm Joh. Georgii II. tūm Friderici Wilhelmi, Electorum Saxonici & Brandenburgici excellentia in admirationem venæ Poëticæ Fellerianæ rapiat. Dolendumque est, quod Leopoldida, hoc est, de rebus gestis invictissimi Germanorum Imperatoris Leopoldi carmen, quod meditabatur, morte præventus vel inchoare, vel perficere non potuerit. Non minor catalogus texi posset scriptorum, quæ vel ad intelligendos Poëtas, vel ad discendas ex expositis Poëtis varias res sive historiarum & linguarum cognitionem, sive Philosophiam ipsam, tām quæ in speculando, quām quæ in agendo consistit, spectes, faciunt. Ex omnibus autem tria nominasse nunc sufficiet. Nihil enim Commemorationibus Rivini nunc in Pervigilium Veneris, nunc de Pollinctura, nunc de Petalismo, nunc de aliis absolutius. Nihil observationibus Rappolti in Horatium doctrinā refertius. Nihil Floribus Felleri in Virgilium virentius. Quæ lucubrationes omnes, quemadmodum ex lectionibus Poëticis publicis natæ sunt ; ita longè plures fieri potuissent, si omnia, ut merebantur, quæ in Auditoriis Studiosis assiduo labore post maturam meditationem proposita fuerunt, collecta, inque lucem emissa fuissent. Et quis præstitos in commoda Facultatis labores alios satis enarret ? Qui velut ex quamplurimis aliis rebus videri possunt, ita imprimis etiam ex admini-

ministrato Decanatus & Pro-Cancellariatus mune-  
 re apparent. Fuit enim Decanus Bavarus octies,  
 Rivinus quater, Rappoltus ter, Fellerus bis, semel  
 in Natione Misnica, & iterum in Natione Bavaria. In  
 creandis autem Magistris Cancellarii vicibus  
 functi sunt quater Bavarus, bis Rivinus, Rappoltus  
 & Fellerus, idque ultimus partim in Natione Misni-  
 ca, partim in Bavaria. Et reperimus quidem neu-  
 trum horum munerum obiisse Verbesium & Buh-  
 lœum, quod uterque ante ex Facultate iterum ab-  
 iissent, quam vel triennium complessent, quod à  
 quolibet in Facultate exigi oportet, antequam vel  
 Decanus, vel Pro-Cancellarius esse possit, vel post  
 superatum triennium non expectassent, donec or-  
 do ex Natione vel Decanum, vel Pro-Cancellarium  
 eligere jubebat, ad quam pertinebant. Sed scimus  
 tamen etiam, Buhlœum per aliud munus egregiè de  
 rebus Philosophicis méritum fuisse, siquidem Cura-  
 toris in Collegio novo partes imponi sibi non so-  
 lùm passus est, statim ac in Collegium receptus e-  
 rat, sed & usque ad discessus sui tempora retinuit..  
 Quæ res eò magis commendanda est, quod non mu-  
 nus solum ipsum multis molestiis plenum est, quæ  
 cum in curandis ædibus, tum in exigendis ab inqui-  
 linis locariis devorandæ sunt; sed quod eo etiam  
 tempore suscepit, quo turbæ bellicæ pestiferæque  
 quam maximè in urbem sæviebant, nemoque alias  
 esset, qui humeros subjecere instantibus tot pericu-  
 lis vellet. Quemadmodum etiam reliqui Poëtæ  
 nostri vel in eadem, vel similibus functionibus pro  
 commodis publicis vigilarunt. Namque Adjun-  
 tus

Etus Decani Bavarus fuit. Curatoris munus post  
 Buhlaeum per longum satis tempus in se habuit Ri-  
 vinus. Bibliothecæque Philosophicæ præfuerunt,  
 cum, quamdiu adhuc in Collegio Philosophico cu-  
 stodiebatur, Rappoltus; tum, postquam in locum  
 Bibliothecæ Academicæ translatâ fuit, Fellerus, Fa-  
 cultatis pariter & totius Universitatis Bibliotheca-  
 riis meritissimus. Hactenus ostensum est, qua ra-  
 tione Professiones & acceperunt & sustinuerunt  
 Poëtæ nostri. Nunc referemus, quomodo Profes-  
 sores Poëtici esse desierint. Quod quidem diver-  
 sissimis modis coartigit. Extiterunt enim, quos  
 mors solvit. Extitit, qui fugâ se subduxit. Exti-  
 terunt verò etiam, qui à Poësi ad alias vel discipli-  
 nas vel facultates translati sunt auspiciis publicis.  
 Ut Poëtæ mortui sunt Rivinus & Fellerus. Idque  
 iterum diversis fatis. Vivendi enim finem Rivino  
 natura fecit, postquam per aliquod ante tempus  
 morbus immissus vires valendi sensim sensimq;  
 ex-  
 ederat, ipso die, quo Christi in crucem acti memoria  
 in Ecclesia celebratur anno millesimo sexentesimo  
 quinquagesimo sexto. Sed violentius vivis exemptus  
 fuit Fellerus anno millesimo sexentesimo nonage-  
 simo primo. Nocte enim Palmarum Dominicam  
 proximè antecedente, ex cubiculi, in quo dormie-  
 bat, fenestra fortuito casu delapsus, caput, in quod  
 deciderat, ita læsit, ut altero post Dominicam die  
 mortem oppeteret. Professionem clam deseruit  
 Verbesius, cum nondum integrum annum eam ha-  
 buisset. Cum enim anno millesimo sexentesimo tri-  
 gesimo primo & belli & pestis pericula ingravesce-

C

tent;

rent, sub specie necessariæ profectionis in Scholam  
 Portensem, ex qua ad Professionem Poëticam, ut  
 ante jam diximus, accessitus erat, in mercatu verna-  
 li aufugit, & nec reversus ipse est, nec significatio-  
 nem ullam reliquit, ex qua certo concludi potue-  
 rit, quorsum locorum delatus fuisset. Bavarus, Buh-  
 lœo & Rappolto, post Poëticam functionem alia  
 munera imposita fuerunt. Possim equidem & Ri-  
 vinum addere, quem in Facultate Medica Profes-  
 sionem Pathologicam accepisse anno, antequam  
 moriebatur, constat. Sed Poëta & Pathologus si-  
 mul fuit. Cæteri Poëticam stationem vacuam a-  
 liis reliquerunt. Ex quibus Bavarus in Commu-  
 nitate Philosophica mansit, post mortem Johannis  
 Friderici utramque linguam & historias docere jus-  
 sus. Quod etiam usque ad discessum ex vita fecit.  
 Buhlæus & Rappoltus post Poësin sacris operari in-  
 cipiebant. Rappoltus Doctor Academicus in Fa-  
 cultatem Theologicam anno millesimo sexcentesi-  
 mo septuagesimo translatus est. Utque ab eo tem-  
 pore non solum in informanda juventute strenuam  
 operam præsttit, testimonio consummatissimorum  
 scriptorum Theologicorum, quæ simul edita legun-  
 tur, sed etiam in suppeditandis de casibus dubiis  
 quærentibus & consulentibus consiliis responsa de-  
 dit & eruditionis & prudentiæ plena, ita & non u-  
 nâ honoris munerumque accessione auctus est, fa-  
 ctus simul Canonicus Cizensis, Electoralium Alu-  
 mnorum Ephorus, & Nationis Misnicæ Senior, ut  
 de Decanatu nihil adjiciam, quem post id tempus  
 in Facultate sancta semel etiam administravit. Buh-  
 lœus

Iæus autem ad habendas in templis Conciones destinatus primum Mutinam Misnicam anno millesimo sexcentesimo trigesimo quinto ad Pastoratū, deinde Wurcenam anno millesimo sexcentesimo trigesimo octavo, ut Superintendentis Cathedralis esset, ad postremumque Dresdam anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo ad Ephoriam oppidanam, Senatoriamq; dignitatem in Proto-Synedrio Ecclesiastico Electorali vocatus fuit. Quibus in functionibus quid vel docuerit, vel constituerit, vel ab incendiis etiam & irruptionibus militum hostilium passus sit, ut ipsi, A. si tempora ista expendatis, colligere potestis, ita temporis institutique ratio nunc non permittit, ut omnia, prout merentur, exequamur. Pergo ad alia. Antea jam percepistis, quam fide atque labore commodis Facultatis Philosophicæ consuluerint, dum Poëtae essent. Sed nunc cognoscimus, quod non minora merita etiam illorum in Academiam ipsam extiterunt. Quam rem cùm summum munus, quod Academia habet, aliquoties maximā cum laude gestum testatur, tum operæ etiam argumento sunt, quas custodiendis Collegiorum, in quibus Collegati, ut vulgo loquuntur, vel ut latiniū Rivinus rem exprimere volebat, Salariati fuerunt, rebus opibusque impenderunt. Rectores enim Academiam gubernaverunt Bavarus bis, semel ut Poëta, secundā vice ut Historicus; Rivinus totidem vicibus, sicut & Rapolitus, semel ut Poëta, & iterum ut Theologus, tandemque Fellerus ex Natione Franconica. Inter Collegas autem commemorabantur Principum

Majoris Collegii Bavarus, Rappoltus, Fellerus, Minorisque Rivinus. Quin & Decemviratum gesserunt Bavarus, & qui ei mortuo successit, Rivinus. Nec defuerunt præmia, quæ pro tot meritis, quibus orbem eruditum, & Academiam sibi obstrinxerunt, datæ & accepta sunt. Quibus post infinita alia vel in primis dignitates honoresque titulorum Academicorum an numero. Referri enim possunt, qui Magistri; referri, qui Licentiati; referri etiam, qui Doctores facti sunt. Magistrorum insignia omnes habuerunt. Et in seculo decimo sexto adhuc coronatus est Bavarus. Nostro vero centenario honores hos consecuti sunt cæteri, Verbesius anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, Buhlæus anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, Rivinus anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, Rappoltus anno millesimo sexcentesimo trigesimo septimo, Fellerus anno millesimo sexcentesimo sexagesimo. Licentiatorum nomine gavisi sunt Buhlæus, Rivinus, Rappoltus & Fellerus. Fellerus acceptam à Theologis anno millesimo sexcentesimo septuagesimo primo hanc dignitatem solam habuit. Cæteris vero post Licentiam Doctoratus quoque insignia collata sunt. A Facultate enim Gratiosa Rivinus Licentiatus anno millesimo sexcentesimo trigesimo octavo, & Doctor anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto renunciatus est. Theologi vero Lipsiensis Licentiatis suis adjunixerunt Buhlæum anno millesimo sexcentesimo quadragesimo, Rappoltum anno millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio; Doctoribus

ribus verò Buhlæum eodem anno, quo Licentiam acceperat, Rappoltum anno millesimo sexcentesimo sexagesimo octavo. Nec prætereundum est, quod Buhlæus etiam, Rivinus & Fellerus, dimidia adeoque Professorum nostrorum pars, à totidem Comitibus Palatinis lauream Poëticam adepti furerunt. Venio ad exprimendos animi characteres, quibus singulorum Poëtarum tota insinuatur vivendi agendique ratio cùm erga se, tūm erga alios homines in vita communi, inter quos versati sunt. Et nihil sanè in omnium hominum rebus magis spectari debet, quam quod dixi. Nam omnia in eo occurunt, quæ de homine, sive in principio, sive in progressu, sive etiam in fine vitæ dici oportet. Est quippe propensio quædam ad hunc vel istum habitum, quam cum natura ipsa nascentes simul in mundum afferimus. Ea verò, quamdiu vita homo fruitur, variis studiis, suggestionibus & sollicitationibus hominum, quorum utilitatibus inservire potest, & alitur & sustentatur, & augetur. Ex hac que etiam agnoscimus, in quibus rebus ad salutem publicam hominis usus esse possit vel magnus, vel aliquis, vel parvus, vel nullus. Quin sola etiam hæc causa est, quamobrem, dum ex mundo homines discedunt, ob res benè vel malè in vita gestas vel infelices, vel fortunati dici debent. Sed facile etiam vobis fidem fecero, A. ut nullus fuit nostrorum, qui singulari affectioni non subiectus fuit, sic nullum etiam cum altero in hac re consensisse, diversissimisque singulos rationibus in rebus agendis usos fuisse. Verbesii characterem L. Philippus Müll-

Ierus, Mathematum Professor, magnus ejus Patronus, unicusque fermè in Professione consequenda intra Facultatem Promotor exprimit, quando post fugam ejus de eo scribit, hominem infelicem & malè consultum & profundè melancholicum extitisse. In Fellerō nostis adhuc, A. qui istum nostis, candorem apertum, & in prodendis animi sensis faciendisque, quæ recta censuerat, prodigalitati festinationique, quam tenacitati procrastinationique viciniorem impetum. Gravis Rappoltus erat, & ad consequendam in rebus omnibus, quæ peragendæ incumbebant, conservandamque autoritatem, quæ verba, quæ actiones maximè factus & appositus. Rivinum si videremus, homo occurrebat ad defensionem utilitatis, juriumque suorum & dignitatis adversus invasores quosvis non promptus solum & expeditus, sed & durans, nec facilè impellendus. In Buhlæo animus intrepidus ostendebatur, & ad subeundos, tolerandos superandosque publicarum privatrumque, quæ per provincias sœviebant, calamitatum casus constantia possessorem sui nunquam destituens. Bavarus denique lepidus apparebat & festivitatis amans. Cujus quidem rei & exemplum vobis A. & causam, cum notabilis videatur, afferam. Exemplum accipite in Epigrammate isto, quod consignatis Actis Decanatus sui ultimi in libro publico subjunxit anno millesimo sexcentesimo trigesimo nono, ætatisque suæ sexagesimo septimo:

Morti addicebar, cum Climaëtericus essem,  
Respondi, haud metuo tela nociva necis.

Si

Si Superintendens, aut Ordinis arius essem,  
 Amplius haud possim vivere & esse super.  
 Mors est venator, leporem dimittit inanem,  
 Quando aper aut cervus sistitur ante plagas.

Ratione autem causæ lepiditas hæc magis videtur  
 fuisse affectata, quæm à natura accepta. Vivebat  
 enim Bavarus ea ætate, in qua ingenia Plautina ad  
 lepores nata & facta inter Poëtas quæm maximè  
 florebant & in pretio erant. Quemadmodum igitur  
 festivis carminibus & scriptionibus jam mag-  
 gnam famam, summumque nomen tam apud Prin-  
 cipes, quæm apud quoscunque alios viros eruditos  
 pariter & à literis alienos sibi comparaverant, in  
 superiori Saxonia Taubmannus, in Belgio Baudius,  
 passimque & ubique Zuberus erro, ita & noster  
 crediderat, non posse se provinciam Professoris  
 Poëtici delatam cum laude & approbatione susti-  
 nere, nisi & ipse se festivitate aliqua hominibus  
 commendasset. Excepto unico fugitivo Verbesio  
 de omnium etiam matrimonio porro innotuit.  
 Reliquit enim mortuus Bavarus viduam Reginam  
 Margaretham, quæ Halæ epitaphium ipsi posuit.  
 Buhlæus nuptias celebravit anno millesimo sex-  
 centesimo trigesimo quinto cum virgine nobilissi-  
 ma Anna Krammia, Friderici Krammii, Hæreditati-  
 ri in Altnauendorff & Blösen / filia, & Francisci  
 Krammii, Jcti, Curiæ Provincialis & Scabinatus  
 Assessoris, Professoris in hac Academia Publici, E-  
 lectorumque Mauritii & Augusti Consiliarii inti-  
 mi nepte. Rivinus tres uxores duxit, primam ele-  
 gantissimam virginem, Catharinam Elisabetham,

M. Hieronymi Bergeri, Quæstoris Sceudicensis filiam, anno millesimo sexcentesimo trigesimo tertio, sed quæ quartâ post nuptias septimanâ iterum extincta est; secundam foeminam laudatissimam Annam, natam Elligeram, viri clarissimi M. Wilhelmi Aviani, Facultatis Philosophiæ Assessoris, & Rectoris ad D. Thomæ relictam viduam anno millesimo sexcentesimo trigesimo octavo; tertiam virginem pudicissimam, Catharinam Elisabetham, viri perquam reverendi M. Tilemanni Olearii, Archi-Diaconi ad D. Ulrici Halensis meritissimi filiam, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo. Rappollo nupta est anno millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo virgo præstantissima Maria Elisabetha, amplissimi prudentissimique Viri, Pauli Franckensteinii, Prætoris Urbani relictâ filia. Cum Fellerò denique in matrimonio vixerunt nobilissimæ virgines duæ, altera Anna Dorothea Rappoltia anno millesimo sexcentesimo septuagesimo; altera Johanna Thomasia anno millesimo sexcentesimo septuagesimo septimo data. Hæc autem matrimonia cum ob multa alia divinæ benedictionis genera, tūm imprimis etiam ob liberos, qui per ea in lucem editi sunt, longè fortunatissima appellari oportet. Namque non numerosa solum foboles, sed fausta etiam, atque omnibus mundanæ prosperitatis muneribus abundantissima prodidit. Si natos modò ex quatuor posterioribus calculare velimus, summa triginta duorum computabitur. Parens enim fuit Buhlæus liberorum septem, trium filiorum & quator filiarum, Rivinus

de-

decem, ex secundo matrimonio quatuor filiorum & duanum filiarum, & ex tertio trium filiorum & unius filiae: Rappoltus undecim, quinque masculini & sex foeminini sextus: Fellerus quatuor, masculorum duorum ex priori, & foemellarum duarum ex posteriori conjugio. De felicitate autem sobolis Poëticæ cur multa verba fiant? Longum futurum sit, si bona commemorare velimus, quæ extra locum hunc Deus in prolem sibi dilectorum Virorum contulit. Et nemo etiam vestrum est, A. cui non ante oculos vel in hac ipsa urbe versetur excellentia, in qua nati ex Rivino & Rappolto viri foeminaque, sive eruditionem tūm Theologicam, tūm Juridicam, tūm Medicam; sive dignitatem etiam, fortunarumque præstantiam contemplmur, aut jam deprehensi fuerunt, aut adhuc deprehenduntur. Cujus prosperitatis fata hoc magis præstabilia judicanda sunt, quod non aliunde magis profluxerunt, quam quod felicium liborum parentes erga parentes suos, divinorum præceptorum memores pii ante alias probique existentes, additarum præceptis divinis promissionum participes facti, felicitatem in sobolem etiam transfuderunt. Constat enim, Rivinum senio confectum parentem suum ad se recepisse, per aliquot annos aluisse, inque illo ipso sepulchro defuncti ossa, in quod ipse postmodum sequutus est, compausisse. Et Rappoltus matrem viduam incendio Pegaviensi ad incitas redactam per octodecim annos ad obitum usque sustentavit, octogenariamque amplissimo funere hic Lipsiæ extulit. Restat,

ut de morte etiam Poëtarum nostrorum pauca ad-  
huc adjiciamus. Ubi quidem de Verbesio dici non  
potest. Fugā enim sua ut quamplurimarum rerum,  
sic & mortis notitiam surripuit. De Fellerio Rivi-  
noque ante jam omnia expedita sunt. Tantū  
igitur Bavari, Buhlæi & Rappolti mentio facienda  
est. De quibus verò cùm illud notabile est, quod in  
summa senectute vivere desierunt, tūm quod non  
in uno, sed diversis locis mortuos & sepultos novi-  
mus. Superavit nempe Rappoltus annum sexage-  
simum secundum, Bavarus septuagesimum secun-  
dum, Buhlæus septuagesimum quartum; qua in-  
re & Fellerus & Rivinus minores fuerunt. Obiit  
enim alter anno ætatis quinquagesimo secundo, al-  
ter quinquagesimo septimo. In distinctis verò et-  
iam locis, quam habuerunt mortalitatem, deposue-  
runt. Halæ enim defunctus est Bavarus, nocte  
diem Conradi sequente, menseque adeo Novembri  
anni millesimi sexcentesimi quadragesimi tertii,  
postquam eò Lipsiâ excurrerat, imbecillitate, quam  
senectus secum fert, correptus & extinctus. Quo  
ægritudinis genere etiam Buhlæus Dresdæ exces-  
sit, & terræ illatus est anno millesimo sexcentesimo  
septuagesimo septimo. Rappoltum tandem post  
podagræ vexationes calculique dolores enterocèle-  
sopivit tumulo juxta templum Paulinum in hac  
urbe condendum tertią feriarum nativitatis Chri-  
sti anno millesimo sexcentesimo septuagesimo  
sesto.

Atque ita accepistis, A. quid de Professoribus  
Poëticis hujus Academiæ per elapsum nuper seculu-  
lum

lum proferri potuit. Doleo vero, ut ipsi ab omni eloquentiae apparatu instructissimi, quoties verba ipsis facienda fuerunt, Tulliano flumine in laudes præstantissimarum rerum exuberarunt, sic nullas mihi Suadam verborum delicias suppeditasse, quibus tam præclara de orbe eruditio virorum istorum merita illustrari deprædicarique potuerint. Sed & ab initio dixi, non verba me facturum esse de viris istis, ut dicendi vires ostenderem, sed ut officiis pietatis, quibus Antecessoribus meis Successor obstrictus vivo, satisficeret. Omnia igitur nudè, tenuiter & absque omnibus verborum sententiarumque ornatibus exponenda fuerunt. Sed neque propterea tamen omnis quoque illis rebus recente-spendor denegabitur. Memini, novem abhinc annis, quum collatæ juvenibus eruditissimis Laureæ Magisterialis laudes carmine decantandæ essent, seculum Electoratus Saxonici Georgicum ita exhibitum fuisse à Poëta, ut ad singulos Magistros honorandos singularia bona accommodarentur, quæ in Electoratu Saxonico obvenerant, quamdiu Potentissimi Principes Johannes Georgius I. II. III. & IV. in Provinciis Saxoniciis Electoralibus rerum potiti fuerunt. Cur non simili meditatione Poëtæ quoque celebrari possint, qui per seculum Electoratus Saxonici Georgicum in Academia Lipsiensi, locoque adeò Electoratus Saxonici, vixerunt. Idque hoc majore similitudine, quod qui allati sunt Professores, nec in primo nec ultimo seculi anno extiterunt, perinde ut Johannes Georgii neque

neque principium seculi sui, neque finem etiam attigerunt, & anno demum undecimo imperium nacti & nonagesimo quarto rerum summæ subducti. Fiet itaque aliquando, quod dixi. Interim faciam, cuius gratia hanc cathedram conscendi, quosq; ad stare videtis, viris juvenibus, & natalium, & eruditioñis, & rectitudinis dotibus instructissimis, licentiam assumendi summos in Philosophia honores impertiar auspiciis Potentissimi Poloniarum Regis & Electoris Saxonici, FRIDERICI AUGUSTI, Ducis Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ & Montium, & sic porrò, constitutus, ut vices Reverendissimi, Serenissimi Celsissimique Principis & Domini, Domini MAURITII WILHELMI, Ducis Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ & Montium, Postulati Administratoris Episcopatū Martisburgensis, Cancellariique adeò hujus Academiæ unici & perpetui in solennitate hac Philosophica exequar.

*Secuta est Renunciatio XLVI. Licentiatorum Philosophiae, quorum nomina & ordo in Carmine subsequente Panegyrico exhibentur.*

PRO-

## PROGRAMMA INVITATORIUM.

M. JOH. HEINRICUS ERNESTI,

Poëſ. Prof. Publ. &amp; creandis Magistris h. t.

## PRO-CANCELLARIUS

*Philosophiae & Bonarum Artium Candidat̃ Nobilissimis*

S. D. P.

**N** medium hyemem incidit solennitas, in qua Philosophiæ, Bonarumque Artium Doctores Magistrique adeò publicis ceremoniis renunciantur. Hosque proinde si *Niveos* aliquis appellare velit, nihil fecerit, quod ad tempus, & quæ in tempore contingunt, rerum conditionem non sit accommodatum. Evidem possint eodem quoque respectu *nigri atrique* dici, à cornicibus scilicet corvisque, quas aves velut symbola pingendæ hysimi apponi posse censem Pontanus propter crebritatem pluviarum, quæ hybernis mensibus cadunt, quod cornices corvique pluvias vocibus suis vocare soleant. Et valde etiam voce hac jactare me, fas sit. Nam constat, à Poëtis antiquis Palladi cornicem, & Phœbo corvum proprium datum esse. Utique etiam hæ aves futurorum prædictione nobilitantur; sic &, qui Sapientium titulis gaudent Magistri, si res ante factas cum præsenti rerum conditione componant, non modo privatorum casus, sed &, quæ rebus publicis imminent, fata non sine omni

cer-

certitudine non infreuerter prænunciant. Quin & gloriari possumus, per elapsum nuper seculum duos, quod corvinæ quasi, hoc est, Phœbeæ, Apollineæque eloquentiæ & eruditionis viribus, adversus barbariem ingruentem quàm maximè polluerunt, Corvinos dictos, & Andream Corvinum, Suidæ solutæ, & Fridericum Rappoltum, ligatae Professores longe meritissimos, Academiam nostram illustrasse. Sed videri tamen nigredo possit rem non satis exponentibus primo intuitu sinisteritatis aliquid inferre, præcipue, cùm avis inauspicata etiam maximè creditus fuerit nonnunquam antiquis corvus. Malumus igitur à candore *Niveos* vocare Magistros. Sicque nomen dabimus, quo nihil haberi potest excellentius, magisque præstabile. Novimus enim, à Scriptoribus gentilibus, quicquid ad Deos pertinet, nivis colore solenniter exprimi. Scripsit quippe Ovidius in transmutationum librís, Anii filias pennas sumpsisse, inque Veneris volucres *niveas* abiisse columbas. Et cum Jupiter rapere vellet Europam, induebatur faciem tauri, cuius color nivis erat,

- - - - *quam nec vestigia duri  
Calcavere pedis, nec solvit aquaticus austus.*

Ex qua causa & Cœlius Rhodiginus scripsit, quòd *niveo* spectabiles colore ut Deorum venerati sint filios antiqui. Quod vero ut ante omnia exinde factum esse existimari oportet, quod albus color multum ad pulchritudinem amoremque adeò conciliandum facit; ita non ineptè fortassis aliquis etiam cogitabit, annon ob hoc candidi Deorum filii quon-

quondam crediti fuerint, quod quando ex cœlo revelationem factam esse, in Scripturis legimus, nivei coloris simul mentio fit. Nempe angeli veste *nivea* induiti comparebant in sepulchro Christi. Et in monte Thabor, cum illustraretur Dominus, vestis ejus erat candida, ut lux. Sed & *nivis* vi & efficacia appositissimè dotes omnes & virtutes figurari possunt, quæ in Magistris Philosophiæ conspicuntur. Utilitates *nivis* descripturus supra jam allegatus Pontanus: *Nix alit quodammodo animantes, inquit, præsertim oves, quia ex humido aërio generatur, in quo vita consistit: segetes & herbas nutrit atque auget; suo enim frigore terra poros occludit, ne calor, cuius fotu semina jacta indigent, exhalet.* Terram præterea, quam cooperit, per antiperistasis calefacit, & hyberni frigoris adustione semina prohibet. Sed tradito, si quid ad eruditio nem Philosophicam, quâ Magistri pollent, trahi non potest. Nonne vita hominis, animalium nobilissimi, magis in cognitione divinarum humanarumque rerum consistere potest, quam in motu corporis, actionibusque aliis, quæ ex copulatione animæ & corporis exoriuntur? Atque Philosophia artes nutrit atque auget, ex quibus velut ex segetibus & herbis, quæ sustentando homini alimenta quærenda sunt, nascuntur. Manifestum verò etiam est, sapientiam mentem humanam, quam cooperit, per antiperistasis quasi, dum timori, odio aliisque commotionibus, ad tollendum omnem honesti sensum comparatis resistit, calefacere, & affectuum adeo adustione virtutum semina prohibere.

bere. Crediderim igitur, Academiam quandam  
 præstantissimorum eruditissimorumque Virorum,  
*Niveorum* nomine in non exigua Philosophiæ  
 Magistrorum commendationem & gloriam ex iis-  
 dem constitui posse, ut in Italia quamplurimæ vi-  
 rorum excellentissimorum societates sunt, quæ pe-  
 cularibus sumtis appellationibus præstantiam su-  
 am in notitiam hominum immittunt. Sane sive  
*Humoristarum*, sive *Æthereorum* esse censem, qua-  
 rum hanc Scipio Gonzaga, istam Paulus Mancinus  
 excitavit, nihil dixero, quod cum nivibus exacte  
 non conveniat. Nam ex aqua humoribusque ad-  
 eò meteoron istud constat; & in æthere, tanquam  
 in loco conveniente, generatur. O dignitas ho-  
 norum Philosophicorum! Quis non prendere, il-  
 lisque exornari exoptet? Idque quo fiat, commo-  
 da nunc fese offert occasio. Juslus enim auspiciis  
*Potentissimi Poloniarum Regis & Saxonie Electoris*  
*Domini FRIDERICI AUGUSTI*, Ducis Saxo-  
 niae, Cliviæ & Montium, ut & Angriæ & Westpha-  
 lia &c. vices Reverendissimi Serenissimique Principis  
 ac Domini, Domini MAURITII WILHELMI, Du-  
 cis Saxonie, Cliviæ & Montium, ut & Angriæ &  
 Westphalia &c. Postulati Administratoris Episcopa-  
 tus Martisburgensis, Cancellariiique adeò Academie  
 hujus Unici & perpetui, ego hoc tempore in distri-  
 buendis Philosophicis honoribus gerere, ex insti-  
 tuto consuetudineque publica Candidatos Nobis-  
 lissimos, quotquot laudabili accipiendorum novo-  
 rum titulorum desiderio afficiuntur, humanissimè  
 invito, ut nomina sua profiteantur, & ad futurum

pro-

proximè Mercurii horā III. pomeridianā & sequen-  
tes dies in Musæo meo præsentes se sistant, acceptu-  
ri, quid faciendum sit, ut expetiti honores more  
majorum conferri possint. Est inter Fortunatas  
insulas una, quæ *Nivaria*, ut Plinius memorat, di-  
citur, ob perpetuas nives & nebulas, quibus sola  
ex omnibus assidue tegitur. Perpendensque Ma-  
jolus, Augustinum verba Psalmi, *Deus dat nivem*  
*sicut lanam*, interpretari de hominibus nondum  
conversis, ex quibus Deus filios suos facturus sit,  
ut lana materies vestium sit. asserit, quia hæc actio  
Dei, de quâ Augustinus loquitur, in Ecclesia Dei  
fiat, meritò & iplam Ecclesiam Nivariam appellari  
posse. Æquè verè hoc tempore Communitatem  
Philosophicam Nivariam profitebimur. Fortu-  
nata enim insula erit, in quâ nix depluet sicut lana,  
hoc est, honorum insignia & tituli, ex quibus non  
dignitas solum singularis instar vestis accipientes  
involvet, sed benedictio etiam divina cognoscetur,  
qua honorati cum ipsi ad promovendam gloriam  
Dei quam maximè facti apparebunt, tum alios et-  
iam posthac, qui nondum Deo adhærent, in com-  
mittendis aliquando muneribus publicis ad Deum  
operis convertent extantissimis. P. P. Dom. I. Ad-  
vent. A. C. M DCC I.

D

NE-

**NEPTUNUS**  
**HONORIBUS IN PHILOSOPHIA**  
**S U M M I S**

*IN*  
**ACADEMIA LIPSIENSI**

RECTORE MAGNIFICO  
**GOTTFR. OLEARIO,**  
 SS.Theol. Lic. Utriusq; Linguae P.P.  
 Fac. Philos. Assess. & Maj. Princip. Colleg.  
 Collegiato,

CREANDIS MAGISTRIS  
 PRO-CANCELLARIO  
**JOH. HEINR. ERNESTI,**  
 Philos. & Bon. Art. Mag. Poët. Prof. P.  
 Fac. Philos. Assess. & ad D. Thomæ

Rectore,  
 DECANO SPECTABILI  
**JOHANNE SCHMIDIO,**  
 SS. Th. Doct. & Prof. Publ. Extraord.  
 Eloq. Ordinario, Fac. Philos. Assess. Alumn.  
 Elector. Ephoro, & Colleg. D. Virginis Seniore  
 & Præposito,

*d. 26. Jan. A. C. M DCC II.*  
 solenniter distributis  
 Sacer.

PRO-

## PRO-CANCELLARIUS

*Ad  
LECTORES.*

**S**unt, animos forsan quorum admiratio cepit,  
Quod sueta in juvenum carmina scribo de-  
cus,

Dum festo Sophico Pro-Cancellarius adsum,  
Et lauro doctum cingo brabeuta caput.

His dico: insolitum, fieri quod conspicis, haud  
est.

Pansophus in Pindo hoc sic Medicusque facit.  
Candelarum olim fuerat cognomine fultum,  
Ob causas quod nunc desit esse graves.  
Laudibus hoc Sophicus Pro-Cancellarius ornat,  
Tradere queis, juvenes, laurea ferta decet;  
Postquam explorarat solenni examine vires,  
Dumque aderant, factum est, maximo honore  
Viri.

Ordoque quid faciat, perspectum est nonne, Me-  
dentum,

Immensus quo nil gratius orbis habet?  
Illi Doctorum concessa Licentia nullis,  
Factis, ni recitet, quam meruere, prius,  
Martisburgiaci Domini quem munere fundum  
Ferre favens titulos gaudet. Hygea novos.

Quid tamen accumulo mortalia munera multis?  
Promptum est, exemplo rem stabilire Dei.  
Nam quam distribuit Neptunus præmia, semper  
Naidas ornavit laudibus ante suis.

J. N. R. J.

**R**omissa exhibeo. *Quæ meque exponere  
velle*  
*Argumenta metris ante annum oblatas  
canebam,*  
*Si successuro permittat vivere Numen*  
*Tempore, quando suis præberet præmia Phœbus,*  
*Istorum incipio primo unum tradere cæpto*  
*Nunc, dum Panoplii sunt solennia festi.*  
*Sufficiam madidos madido sed carmine versus,*  
*Neptunique udâ stillantis imagine ludam.*  
*Quidque aliud facerem? Neptunus sede locatus*  
*Prima apparebat nobis; cum prima laboris*  
*Ante bis exhibui sex menses signa futuri,*  
*Teichmannoque tûlit meritas pîscatio laudes.*  
*Daphnide quo doctæ cinguntur tempore frontes,*  
*Strata pruinoſo canescit tegmine terra;*  
*Humeantque nives campos, nimbiique ruentes.*  
*Convenienter eo pluviosus carmine psallit*  
*Ergo Neptunus, madido consuevit Apollo*  
*Quo juvenum festo sumptis applaudere fertis?*  
*Et cur ad casus non sit quoque temporis apta*  
*Materia hæc alios. Turbas ut flatibus ortas*  
*Autumno elapso nostis commoverit oris*  
*Ponto vicinis, ponto quæ summa potestas*  
*Præsidet, ut montes vastos obtexerit undis,*  
*Fluctibus oppositus ventis ut cesserit agger;*  
*Vexerit ut sævum mox altum ad littora merces;*  
*Ad terram expulsus fractæ sit puppis ut affer,*  
*In mortemque homines laxata ex nave cadentes;*  
*Intereat mersus cum pago ut rusticus ipse,*

In-

Innumeræque alij ventura pericula fortæ  
 Expulsō timeant animo de pectore cladis.  
 Sed non tam sœvi Neptuni fulmina scribam  
 Hac vice. Mollis erit, placidaque faventior au-  
 râ.

Nam dabit ornandis nunc commoda grata Magi-  
 stris,

In mundi per quæ mare Numen condidit usus.

Sic pluviae vegeto recreabunt munere terras.

Sic multo Oceano fient commercia questu.

Sic gelido venient pratis ex rore corone.

Delebit mundo lotor sic flumine sordes.

Sique etiam infestus nonnunquam motibus esse

Duris Neptunus videatur, sœvior in res

Non erit iste bonas, sed quas turbare quietem,

In docto sedem quæ querit pectore, constat.

Nulla etiamque meos invadet fabula versus,

Non quo prognatus Neptunus amore feratur;

Non, quæ delectet non siccæ cubilia Conjur;

Imperii non quo regat ingens pondera sceptro,

Ad jussum non quæ Nymphæ volvantur in undis;

Non ut contineat turbantes Æolus austros.

Quid fictis opus est chartas confundere formis,

In veris quando licet utilitatibus orbis

Ludere & in juvenum componere carmina lau-  
 ros?

Ergo aqueis etiam sub signis nomina sistam,

Quæ Sophicis festum præstant solenniter antris.

Magnificis Rector titulis Olearius adstans,

Ausonia linguae doctor, lingueque Pelasgum,

D 3

Ad-

Advehit excellens inter commercia navis  
 Plurima per multos usus ad commoda, claram  
 Famam, olea, ex opibus Græcis, opibusque Latinis.  
 Principis in munus Pro-Cancellarius ipse  
 Surgo. Libertas sed constringetur aquarum  
 Molibus oppositis per me. Nam verba soluta  
 Dum versus facio, vincis adstringo poeta.  
 Principium Sophici Schmidius venerabile cœtus,  
 Quando verba facit, lucrum indeleibile suadet,  
 Currit, constrictus ripis ut nobilis amnis  
 In vastum volvit labentia flumina pontum,  
 Non interrupto cursu, motuque modesto.  
 Sed quibus excurrat formis in facta virorum,  
 Qui rigido juvenum videre examine vires?  
 Attentis oculis Cataractas Pfautius infert.  
 Astronomus cœli nam dum considerat orbes,  
 Percipit, ex motu illorum non aure sonoram  
 Harmoniam natam sentiri; flumina Nili,  
 Inter non paucos ut percipit incola nunquam  
 Præcipitus strepitus, donec Catadupa vocatur.  
 Neptunum in fontes, & pontum & flumina scim-  
     die  
 Hardtius, hanc paucis ut dividit entia membris.  
 Cum spiris pugnat Ludovici in vortice multis.  
 Perpetuo Logicas opus est nam vincere technas.  
 Nuncque etiam in ripa, nunc littore Menckius er-  
     rat,  
 Inserere historia cupiens, quæ gesta per undas.

GOTT-

GOTTHARD RUDORFF, Podelwizens. Misn.  
Pastor Substit. in Groß-Dalkig/ Delschütz und  
Zitzschen.

Mare tempestuosum precum & devotionis occasio.

**Q**ui sunt in Ponto, pietatem discere vulgo  
Dicuntur. Tendunt ad cœlum brachia namq;  
Ut tristem avertant mortem, per fulmina, nubes  
Per pluvias fævit quoties ventique tumultus  
Fluctibus & miseris mare tempestatibus actum.  
Quam bene convenient, Rudorff, hæc laudibus istis,  
Impensum ingenuis studium queis prædico Musis.  
Namque illas sic Te fine hoc tractasse notavi,  
Ut populum ad studium pietatis ducere posse,  
Ipse etiam ut præstas sanctas admotus ad aras.  
Privati ad cultum Domini adduxere Magistri  
Principio. Pergunt sensus removere profanos  
Cizensis post hos castissima Numinia Pindi:  
Relligio augusti Gleitsmannus summa Lycei,  
Käberius dii pia nunc devotio templi,  
Corpus Ketnerus volvens in pulvere terræ,  
Cadesreuterus sinceri flammeaque facri.  
Divini partes omnes dat Lipsia cultus.  
Thura precum accedit fervens Olearius ignis.  
Expoliit fidei Cyprianus splendidus aurum.  
Dicitur in studio rectus Rechebergius esse  
Virtutum, per spem Seligmännusque salutis,  
Puraque Güntherus ducti dilectio Cœtus.  
Menckius in certo casu intemeratus uterque.  
Temporibus Græcus cunctis Olearius orat.  
Cum populo in templis Ernestus fundere vota  
Expetit, occlusis tectusque cubilibus Hardtus.

Tristitiam mœstis lenit *Wernerus* in horis.  
 Temperat ob risum *Wagnerus* gaudia fortis.  
 O facta afflicti pietas ad turbida nautæ!  
 Nulla ita tempestas affigit, temporis horror  
 Ut nostri. Precibus tam sæva averte pericla,  
 Idque etiam voluit patriæ *Rechebergius* Atlas,  
 Quando tuis templo duplicavit vota Parentis.

Johann Ehrenfried ERNESTI, Rochlitio-  
 Misnicus,

Tempestatum procellis agitatum Mare.

**V**Entorum turbas, tempestatumque tumultus,  
 Dum describo tuas laudes, proferre juvabit,  
*Ernesti*: Ad vultus facies austera severos  
 Convenit Oceani, quos Tu cognomine profers.  
 Sed cano, seditio sint ut, tristesque procellæ  
 In res, quæ placidos tentant evertere sensus.  
 Infesta infestat Tibi Rochliense Lyceum  
 Principio. Hicque fuit commotio turbida fortis  
*Bürgerus* duræ, Phœbus qui præsidet Hæmo,  
 Musarum inque istis *Wilhelmi* portio claustris.  
 Lipsia Thomanam per Pimplam sævit in hostes.  
 Immittit tristes mœstus *Leipnizius* imbres.  
*Schellius* immites adfert auræque susurros,  
 Fluëtibus absorptus trucibus nunc mortis uteisque.  
 Hicque etiam occultat ponto *Stibelius* astra.  
 Densaque *Ernesti* terret caligine nautas.  
 Aspera cuncta magis sed sæva Academia reddit.  
*Alberti* atque *Hardtus* fluëtus ad sidera tollunt.  
 Non pauca in Syrtes urget *Cyprianus*, ut Eurus.  
*Rechenbergerus* motis furit æstus arenis.

Res

Res Schmidius raptas in saxa latentia torquet.  
 Dat latera Ernesti, Hesbusius, dat Menckius undis.  
 Et coelum & terram miscet Dicelius austris.  
 Pfautzius evertit proram, volvitque Fridricius.  
 In caput excussum male Güntherusque Magistrum.  
 Naves Ittigius rapidus vorat æquore vortex.  
 Vela ferit flatu Ludovici & Roithius acer.  
 Pritzius in summo fluctu atque Olearius hærent.  
 Fundi hiscente mari sordes Carpzovius intrat.  
 Hornius abripuit Seligmannisque rudentes.  
 Weisus aggreditur, quo frangat, turboque, remos.  
 Sic pereunt hostes. Tibi sed tranquillior aër.  
 Ridet. Conseruetque istum pacatio coeli,  
 Graunius & post hanc patrii pax maxima templi.

## SEBASTIANUS Seydeli Chemnitio-Mishicus.

*Fluxus aquæ declivis.*

Inferiora petis patriæ montana relinquens  
 Dum loca, Lipsiacam, Seydeli, accedis ad Urbem.  
 Te quid aquæ mirum mores si sistere dicam,  
 Quæ simili semper fluxu ad declivia currit?  
 Et sic invenio laudum simulacula tuarum  
 Egregia. Æque etiam non vis sublimis haberi.  
 Te submitti aliis patrii sol splendidus Hæmi  
 Schulzius injunxit. Subjectum Lipsia fecit  
 Post istum. Sensus Thomani cura Lycei  
 Non tulit excelsos. Clausus Leipnuzius urnis  
 Te conculcato vult volvi in pulvere terræ.  
 Alta ne nimium moduleris cantica voce,  
 Inter concentus clarissima Schellius urget  
 Vox nunc angelicos qui tintinnabula pulsat.

D 5

Tur.

Turre dissuadet, non fert *Stübelius* arces,  
 In parvisque viis imprimis repere jussit  
*Ernesti*, qui Te contingit sanguine, Rector,  
 Insistit Scholicis prudens Academia jussis.  
*Hardtius* exemplo pellit Phaethontis ab astris,  
 Infidam *Hoffmannus* quamvis pronunciat aulam.  
 Felices humiles *Ludovici* narrat Ebræos.  
*Ernesti* fertur pedibus, non curribus amplis.  
*Güntherus* classis vitat subsellia primæ.  
*Rotthius* ex positis elegerat ostia mensis.  
 Ad tenues *Schmidius* vocat atque *Olearius* hortos.  
 Est *Seligmanno* gens rustica plena salutis:  
 Exigua *Horniadae* tuto virgulta coluntur.  
 Fulmina fert, caveas, pionuit *Carpzovius*, ilex.  
 Demissæ gaude hoc, *Seydeli*, sortis amore.  
 Ex valle efficient, venient, quæ tempora montem.  
 Non dubia inque istas erit exaltatio sedes  
 Nobilis in patriæ vigilans bona multa Senatus.  
 Floribus hasque etiam rupes *Blumbergius* ornet,  
 Florum in *Cygnæo* Domini lux enthea Monte.

JOHANNES DAVID Zipfel / Lipsiensis.

*Specula aquæ.*

**T**E pontum, ut speculum, *Zipfeli*, adferre ju-  
 bemus,  
 Quo reddit justis ora inspicientia formis.  
 In causa est, quoties mercatu Lipsia fervet,  
 Et vitris claris, auroque nitentia fulvo (ces.  
 Quod post innumeræ specula adfert plurima mer-  
 Sed patria hæc Urbs est, quæ Te produxit in orbem.  
 Mentem etiamq; voca speculum, *Dilecte*, venustum  
Ipse

Ipse tuam. Insignes nam res spectantur in istâ.  
 Sumtasque exactâ res reddit imagine. Linguæ  
 Quæ dedit Heyderus lucent elementa Latinæ  
 Eximie. Sermo græcus, sermoque Quiritum  
 Obvenit, Hyllerus positum quando inspicit in Te.  
 Rhetoris & Logici speculatur Kühnus artes.  
 Pansophie, quicquid complexa est integra, tan-  
 tum

Seu res expendat, vitâ sive exprimat acta.  
 Virtutes varias, adstantibus objicit Hardtus,  
 Pansophie in docto longe illustrissima mundo.  
 In chartis vastas parvis delineat urbes,  
 Inque globis pingit præstantia sidera spretis  
 Mundi inter multas docta urbs Dicelius urbes,  
 Perque poli studio cœlorum sidera sidus.  
 Divisa exiguum sistant licet entia vultum,  
 Fridricus faciet tamen intuearis & ista,  
 Restenues sensis semper metitus acutis.  
 Non turpes Genitor mores Menckenius offert,  
 Virtute & studio cathedram qui dirigit æqui.  
 Filius historicis speciebus lumina pascit  
 Menckius historiæ non tritæ dulcis imago.  
 Quam facit officium, quamque est vis integra vi-  
 tri?

Qui ligno includant nitido, egregiisque metallis,  
 Fautores præstet Dominus. Simulacra profana  
 Hactenus utque vides sed tu, sic cernito posthæc  
 Divina in speculo quoque, subque ænigmate, Nu-  
 men

A facie ad faciem dum contemplaberis ipsum.

DA-

## DANIEL ILLING, Wiesenthalio-Misnicus.

Thermæ.

**M**ulta equidem, quæ Te progignunt, frigora  
valles,

*Illingi*, infestant. Villis sed tecta nivosis  
Saxa tamen, Caroli quas signant nomina, Thermæ  
Nobilitant. Tuque has collectæ dotibus artis  
Præstas. Namque cales mortali ad prospera sorti  
Pharmaca, lædentes ægrotia ut corpora spiræ  
Saltu effervescens fugat ebullitio morbos.

In potus primum venam calefecit *Heberus*.  
*Annæbergenses* mittunt ex fonte Camœnæ  
Sulphureos fluvios. Notat *Emmerlingius* ignes  
Ferventis lymphæ, fumosa Platoque vaporum,  
Et res mordentes tactas *Stübelius* iras.

Zitta in vicinam portat, quod profluit, urbem.  
Implet nitroso medicamine *Curtius* obbas.  
Ingeritur *Miro* vis inflammata lagenis.  
*Weifus* in terra positisque canalibus abdit.

Lipsia corporibus virtutem accommodat ægris.  
Haustibus allatas vendit *Rechebergius* ollas.

Humorem infundit *Cyprianus*. Mittit in ora  
*Menckius*. Arrosum gestuque calore palatum  
Post potus querulo *Carpzovius* indicat haustos.  
Utilia ex alia curantur parte lavacula.

In labra immittit *Schmidius*, quæ poscitur, undam.  
Dum tepida evadat, *Ludovici* tempora finit.

Proficuum *Herrichius* sudorem extrudit & *Hardtus*.  
Perfundit nudos cautus *Weidlingius* artus,  
*Fridricique* fricat, nimiumque, *Olearius* obstat,  
Ne protracta gravem faciat cunctatio noxam.

*Wei-*

*Weifus* interea medico omnia dirigit acta  
 Et *Seligmannus*, cumque hoc *Pippingius*, usu.  
 Quin vires reddit vegetas vis Numinis ipsa,  
 In vastoque vices præstat qui Numinis orbe  
*Gæzius* Annæbergensis vis ignea templi.  
 Ingentem ô celebres famam deponite Bajæ!

Gottfried BOETTNERUS, Fridersdorff. Lusat.

Omnium fluviorum in mare influxus.

**M**ultos extollis, qui Te docuere, Magistros,  
*Bætnere*. Innumeræ ergo sic imbibis artes,  
 In mare cuncta suum intendunt ut flumina cursum.  
 Per Wisensem agrum sese primum ingerit in Te,  
 Pegaseum quem nunc dulcis Lœbavia pontum  
 Jactat, *Güntherus*, fluvius quique *Heinius* almus  
 Wisam humectat adhuc, flumen post huncque *Re-*  
*derus*

Nobile: Lauba alias sorbendas devehit undas.  
 Prussiacos vegetat qui nunc, ut Vistula, campos,  
*Wendius* exonerat non unam in pectora Musam.  
*Hoffmannus* tumidas facit hoc *Gudiusque* fluentis  
 In Pindœ mentes cognato sanguine pictis.  
 Paupere *Reichwiti* nec se censu alveus indit.  
 Lipsia complexum multarum advolvit aquarium.  
 Aurifer *Ittigius* sensim delabitur Indus.  
 Per *Schmidium* accipitur formosa opulentia Gangis.  
 Exhibit Eusebies lux prima *Olearius* Hermum.  
 Pactoli fulvas fert *Seligmannus* arenas.  
 Rheni à *Günthero* decurrit lympha propinquo.  
 Eurotam Sophicus Spartanum *Olearius* adfert.  
 Misnensem sistit divinus *Weifus* Albim.

Per

Per multa invehitur *Pippinius* ostia Nilus.  
 Euphratem Assyrium tecum *Ludovice* trahebas.  
*Starckius* affluxit, mos ut Jordanis Ebræi.  
 Threicum historicus derivat *Menckius* Istrum.  
 Gallorum Ligeris non possit Avunculus esse  
*Langius*? exque oris non sit *Cyprianus* Iberus  
 Occiduis? Rapidum Tigrim Tibi sumis in *Hardo*.  
 In Baldo *Tito* Tamasin non subtrahit Anglus.  
 Romani egregius *Bayerus* mystaque Juris  
 Famoſum ex Italibz Tiberim promoverat oris.  
 Ut mare per fontes, sed res tu redde receptas,  
 Ut volet in patriis Semo *Schweinitzius* agris,  
 Lipsiacosque levat qui Numen *Wolffius* ægros.

**ELIAS BENEDICTUS Hoffheimi Lipsiensis.**

Mollities aquæ.

**P**Ost alia hoc tua sors quoque nomine dura vocanda est,  
*Hoffheimi*, rapto mœsto quod funere Patre  
 Tristitia afflictis satiatus es orphanus escis.  
 Sed molle est, miseris quod sunt solatia fatis  
 Multa etiam. Magnum pellit nam nubila Numen.  
 Auxilio sunt, qui multum adjuvere Patroni.  
 Quin etiam morsus rerum lenivit acerbos  
 Impensum studium Musis atque artibus ardens.  
 In toto qua re nil est, quod mollius, orbe.  
 Mollitiem, *Hoffheimi*, reque ista sistis aquarum,  
 Tactæ & qua cedunt rebus tangentibus ipse,  
 Et qua, cum tangunt, multa aspera mollia flunt.  
 Lævis eras, dum Te *Niclai* dicit in Hæmo  
 Nobilis ante alios multos Lipsensis Apollo.

Du-

Duritiem utilitas *Kestnerus* fida juventæ,  
 Concentus mollis numerisque *Vopelius*, arcet.  
 Castaliis mites *Meisterus* vestibus aulas  
 Vicerit, & plumas Phœbi vis *Crettia* lectis.  
 Quove ante istos Pindus res præside sœvas  
 Expulit, *Herrichius* maturis præstitit uvis.  
*Gæsgeniique* etiam priva mitescis ab arte.  
 Sed quid non tenerum post hæc Academiæ fecit?  
 In sterlus redigit profulis *Menckius* undis  
 Campos. In pulchras madefactam *Olearius* ædes  
 Convertit calcem. Nix sicut, diffuit *Hardtus*,  
*Güntherusque*, velut glacies, quando incidunt imber.  
 Duram habet in madida carnem haud *Recheber-*  
*gius olla.*

In rigidos liquidus bonus est *Olearius* artus.  
 Aurum sæpè annon *Schmidius* potabile fecit?  
 Quin fluida absunit citius quoque ligna putredo,  
 In loca cum plena hæc, *Cypriane*, humoribus abdis.  
 In tenues gaude, *Hoffheimi*, quod diffuisit undas.  
 Utio per moestum fit lympha solutus acetum.  
 Unda flues ex sorte mala pretiosior at Tu.

VALENTIN Gottfried *Hercfliß* Lipsiensis.  
 Lavationes.

**H**Ercklitz, Herculeas velas cognominæ vires.  
 Ergo in Te quadrat, Regis stabulum Elidis o-  
 lim

Immissa Alphei purgent ut flumina nato  
 Alcmenæ. At tamen haud tam vastos trado labo-  
 res.

Lotio, queis præstas, quævis virtutibus apta est.

At-

Atque hac mens pura est, habitus non corporis in  
Te.

Altenburgensi maduisti primus in Hæmo  
Mundandus. Funduntque undas Grosserus ibidem  
Wenzeliusque duplex lux Pindi, Friesius ampla  
Mundities, vincens splendoreque Sternius astra.  
Nilai in patria quem signant nomina, Ludus  
Balnea subjicit nova. Sumtum in frigida mittit  
Meisterus, calidus tepefecit Crellius artus,  
Martisburgiacus qui nuncque Bonickius audit  
Lotor. Succedunt post hos Academica facta.  
Obdurescentes in sordes dimicat Hardtus.  
Mollibus obliterat mendis Olearius. Usus  
Ad cunctos aderat fortis Weidlingius. Affert  
Saponem Herrichius. Colatas Crellius acres  
Per cineres portat lymphas. Ex vestibus aufert  
Obscenas Schmidius maculas. In corpore delet  
Spurciem turpi Cyprianus. Menckius ipsis  
Ædibus expulso splendorem stercore reddunt  
Undique uterque suum. Veniunt quoque sancta-  
ferentes.

Hauriat in patinas sua sive Olearius, in vas  
Seu Seligmannus; seu Rechenbergius omnem  
Mittat aquam, Ittigio placeat seu spargere guttas.  
Wernerusque etiam hic sic & Güntherus agebant,  
Rotthius absorptusque, lavat dum, vortice mortis.  
Quam lotus! sed cur? pergit, velut ante, favere  
Drechslius medici mundissima portio coetus,  
Et fuerit possis grandes quo pellere feces.  
Errore & vitiis fit foeda Ecclesia passim.  
Herculeis stabulum hoc purges successibus optem.

JOH.

JOH. SEBASTIANUS Oheim-Borna-Misnicus.

Origo fontium ex mari.

**B**ornensis liquidos fontes ad flumina perfers,  
*Oheimi*. Exhibitam sed nolo scribere formam.  
Ante hos tres annos Phœbi hæc simulacra canebam,  
Tradita *Dæffelio* Bornensi præmia laudans.  
Nec tamen à dicta nunc prorsus imagine vertor.  
Ex ponto ut veniat nam fontis origo docebo.  
Nondum & sic dicta objicio. Nam, quicquid haberi,  
*Dæffelio* attribui quandam, de fonte licebat.  
Sed doctrina mihi fons est, quam pectore condis.  
Non parva Oceanum sistant at dona docentum.  
Queisque ad perceptas animus deducitur artes,  
Facta modum tradunt, quo fons ex æquore prodit.  
Altenburgenses primum movere laborem  
Musæ. *Wentzelius* stimulos salsedinis arcet,  
Inter Palladios salsissima fossio punctus.  
In terram introeat quo lympha foramine, querit  
*Schumannus*, mœstæ qui nunc pars terrea cryptæ.  
Venas distribuit per totum *Friesius* orbem,  
Ut via sit liquidis ad fontes plurima turmis.  
Parnassi egregia celebratus laude canalis  
Ad montes venas exiret *Sternius* altos.  
Lipsia conclusas dotes produxit in auras.  
Ex saxo aut terris *Olearius* ostia pandit.  
*Menckius* exceptit justo salientia labro  
Æquora: Frigoribus non duris *Langius* implet:  
Perspicuum lumen *Ludovicus* limpidus indit.  
Sic variosque orbis *Schmidius* derivat in usus,  
Ult victu currens Tibi propensoque favore,  
Sic arte in terras derivatissimus omnes.

E

Sic-

Sicque etiam in gentes fontanos suffice fructus.  
 Exque mari ut sumti mittuntur in æquora fontes  
 Rursus, defectus undæ pensantque marinæ,  
 Sic qui formarunt Te doctum, redditor Hæmis,  
 Oceanosque, ex quæs venisti, vincito donis.

JOHANNES TOBIAS *Gleich/ Geranus.*

*Æqualis undarum superficies.*

**I**ntraquæ dotes multas celebratur & ista,  
 Tota superficie quod conspiciat eadem  
 Nulla parte sui reliquis depressior unquam,  
 Nec sublimi humiles vincens statione recessus,  
 In quoscunque abeat, casus æqualis in omnes.  
 Hoc quod conveniat, *Gleichi*, in Te, conspicis ipse.  
 Nomen habes similis. Si pectora docta que cernam,  
 In quo disparitas, non est, occurrerit ulla.  
 Harmoniæ *Genitor* lumen spectabile vocum  
 Nosse dedit Geræ primam artem. *Schulzius* indit  
 Plura Tibi: Pindi decus *Hitscholdusque severum*;  
 Par Con-Rectorum, fulgens *Wendlerus* in astris,  
 Atque inter Terræ splendores *Wolfius* unus:  
 Rectoresque duo, radiis post funera clarum  
*Käberus* sidus: complexus milleque soles  
*Thymbræi* egregio *Goldnerus* pectoris auro.  
 Lipsia quam præbet, post hæc æquabilis ars est.  
 Læditur *Heshusius* campis atque *Hardtus* hiulcis.  
*Menckius* injustas libras & *Pritzius* odit.  
 Ad frangenda avidum *Cyprianum* curva videmus.  
*Rechenbergero* moesta est non recta libido.  
 Valles *Alberti* facit atque *Olearius* saltas.  
 Ad terram *Ittigius* trahit & *Carpzovius* Ætnam.

Nulla

Nulla ex diversis Schmidio sunt gaudia formis,  
 Nulla ex imparibus Seligmannoque voluptas.  
 Quod lege inferior, Günthero injuria dicta est.  
 Gibbosa à sanctis pellit Pippingius aris.  
 Blossius ad Domini non dicit claudaque cultum.  
 Tam similes decorant summi res ergo Patroni,  
 Consus Sarmaticæ magnus Birnbaumius aulæ,  
 Justitiæque Ducis tanti fons Bornius omnis.  
 Præteritis etiam ventura Magenius addet  
 Summi dextra fori. Facit imo, leveris ad ipsum  
 Frater Dresdensi qui res præco æquat in arce.

JOHANNES Müller/ Teschena-Silesius.  
Sonitus aquarum.

**C**oncentum referes, si non fallemur, aquarum  
 Müllere. Haut unō minui frumenta molarum  
 Compertum est strepitū, profers quas nomine. Tuq;  
 Et voce & fidibus modularis carmina. Quin &  
 Doctrinæ illustres vincis dulcedine Lampros.  
 Nosse sonos docuit Reichenbachense Lyceum.  
 Geierumque adfers doctum, cantuque valentem  
 Kehlerum, & fidum Martinum stridere, sicut  
 Grato se axis illidunt murmure lymphæ  
 Amaibus in parvis. Clangores Lipsia fistit  
 In Thomano Hæmo, quos grandia flumina reddunt.  
 Altior aggeribus Bauero irascitur unda  
 Doctori egregio. Occultam Leipnizius intrat  
 Radicem haud tacitus sub liture. Schellius audet  
 In campos graviore sono tumefactus ab imbre  
 Currere. Stübelium sentis, labuntur in undas  
 Injecti ut lapides. Constratum Ernestus arenis

Perque vadum ingreditur, trahitur ceu currus o-  
nustus.

Exhibit Oceani postremum Academia voces.

Nam maris in physico Cypriano percipis æstum.

Menkenius ponti præsentat uteque refluxum.

Inter singultus in vortice sibilat Hardtus.

Naufragii in miseris Ludovici fletibus hæret.

Pfautzius, Ernesti, Rectorque Olearius astris

In læta immittunt plaudentia jubila sorte.

Quarum inquam sanctos sed rerum imitamina sen-  
sus?

Balænarum audit Güntherus ludere pullos.

Ætnæos in aquis sentit Carpzovius ignes.

In Sicula introitus Scyllæ Pippingius antra

Et Schmidius capiunt Seligmannusque latrantis.

Per tot cantator factus simulacra coronas

Ergo capis, Mällere, tuas. Post pluraque sumes

Præmia. Pansophicus Schmidius volet hocque  
Decanus;

Reichenbachensis Rex Müllerusque Sionis.

PAULUS ABRAHAM König/ Lüçena-Misnic.

Functiones aquam dirigentes omnes.

**N**On majore alium Neptunum dixero jure,  
Königi, quam Te. Regalia munera sistis  
Ante oculos, vastis Rex ut Neptunus in undis.  
Non virtutem aqueam depromsero laudibus unam  
Ergo tuis. Cunctis sicut dominatur in oris,  
Quo pontus fluviique ruunt, Neptunus, aquarum  
Sic dona exhibeas, collectâ sufficis arte,  
Omnia. Regalem hanc ad sceptrâ potentia mentem  
In-

Ingessit Genitor, patrii Rex ipse Sionis,  
 Salvificis populi qui complet pectora poclis.  
 Martisburgiacum dat regia sensa Lyceum.  
 In doctrinarum Tibi navigat æthere vasto  
*Hübnerus.* Pandit variarum flumina rerum  
 Lethæo *Ilmerus* plenus post funera succo.  
 Exsilit in fontes venasque *Ronickius* almas,  
 Pegaseis donis tota ebullitio dives.  
 Eximias præstat post istos Lipsia dotes.  
 Viribus in duras contendit mollibus *Hardtus.*  
 Humore affuso coxit *Weidlingius* escas.  
 Excrescunt salices *Ludovico* in littore. Martis  
 Navalis *Schmidius* dedit in certamine campos.  
*Wernerus* spirat sectanda ad balnea thermae.  
 Vocem pontus habet, legis seu murmuræ ira,  
 Sive Evangelii placeat sparsisse susurros,  
 Dum *Seligmannus* docuit. Cum grandine nimbos,  
 Et pluvias gelidis nebulasque vaporibus auget  
*Rotthius*, in mortis concretus frigora moestæ,  
 Obscuraque alti conclusus nube sepulchri.  
 Quisque satis numeret numerosis singula verbis?  
 Sufficit ad cunctos quod sufficiis æquoris usus.  
 Tu gaudie, & quæ sic ad commoda multa parasti  
 Rex, in perpetuam populi olim verte salutem.  
 Nam fuerit, quando reverendi more Parentis  
 Committenda reges sancti Rex pulpita templi.

JOH. DAVID Fischer / Wiesenthalio-Misnicus.

Humiditas aquæ.

**Q**uid, *Fischere*, à Te guttatum defluit unda?  
 Non mirum. Intentus capiendis piscibus intres

E 3

Cum

Cum pontum bibula vestitus corpora veste,  
 Non habitus referes rediens ex æquore siccos.  
 Nam facie madida vis tota appet aquarum.  
 Quisquisque attigerit, lacrymas demiserit ex se.  
 Quin & Gorgoneo perfusus gurgite mentem,  
 Cur non & doctas possis profundere guttas?  
 In primis annis habet Annæberga madentem.  
 Te non arentem permisit *Strantzius* ire,  
 Artibus intingit doctis dum pectora, postquam  
 Mensa *Lehmannus* Præsul tectisque recepit  
 Affectu eximio, consanguinitateque junctus.  
 In patria posthac fecit Te *Krahlius* udum.  
 Altenburgensis mox exhibet humida Pindus.  
*Wenzelio* in medium projectus mitteris æquor.  
*Friesius* intinctis dispersit flumina virgis.  
*Sternius* humectat terram pluviosus Orion.  
 Humiferum immisit tandem in Te *Lipsia* succum.  
 Prodidit humentes acceptus sibilus aure  
*Gressus*, *Palladii* humens *Olearius* uvis  
 Quando pluit. Cedens tactus mox accipis in Te,  
 Dum *Schmidius* gravido de cœlo pocula mittit,  
 Per cœlum æthereis nubes farctissima nimbis.  
 Extensa ut pendent de vertice pertica crines,  
 In caput exonerat plenas eum *Weisius* urnas.  
 Spectandos dat *Pfeifferus* distinctior artus,  
 Ad corpus proprius quoniam humida lincta strin-  
     git.

Imo premis gravior grandi res pondere tactas,  
 Ex fluviiis quoties delapsum *Langius* haurit.  
 O madidum! Sed quâ fatorum sorte madescis?  
 Balnea, ludibrio est mus, quem ridicula tingunt.

Sub

Sub dio in patriæ bene lotum commoda sed Te  
Officium variis facientem casibus offers.

SAMUEL Nothe/ Elsterā-Lusatus.

Corallia in mari nata.

**S**Ume colore, *Rothi*, suffusa corallia rubro,  
Quæ gerit ex ponto virgo protracta profundo.  
Namque Tibi imbibitæ rubuerunt veste Camœnæ  
Eximia. Virtus inque omnia fascina quovis  
Nobilis invaluit casu, ut medicamina format  
Natura in magicas non vana corallia technas.  
**A** Doctore oritur fido rubicundus amictus.  
Cœpit Lauba. Rosas superat rosa *Wendius Hæmi*.  
Rectore *Hoffmanno* magis haud exsplenduit aula.  
Parnassus quem tunc habuit, nunc Wisa docentem  
In pulchro præstat dona optima *Gudius* auro.  
*Hoffmanni* alterius visa est quoque fulva *Mathesia*.  
Post istos similes suffecit Lipsia formas.  
Maturis tegitur moris *Hoffmannus & Hardtus*.  
Auroram *Alberti* vegetam & *Güntherus* alebant.  
In Rechebergero stellæ Schmidioque coruscant.  
*Itiginus* fulget vero & *Cyprianus* in igne.  
Purpureas præstat rebusque *Olearius* uvas.  
Colchiacæ fraudis sed pellunt fata Patroni.  
Ex queis Laubani *Muscovius* alpha Sionis  
Quondam erat. Auxilio est sed Budissinus *Hygeæ*  
Splendor nunc ejus Natus. Prænobilis urbis,  
Præsidium in certum *Güntherum* suggerit amplum  
Lauba caput. Socerum Gener *Edelmannus* amore  
Hicque æquat, jaçtat quem clarum Ecclesia lumen.  
Lipsia *Güntheri* satiantia fercula promit,

Mensasque *Alberti*. Thymbræas excipit à Te  
Divino *Schmidia* qui filius unicus artes.  
Teque bonis Altdorffinus quoque Baldus honorat  
*Wernerus*, sanctasque colit Schneberga fideles  
*Richterus* vates quos *Bürgerusque* per aras.  
Jactato *Rothi* eas in damna venefica vires.  
Sed tamen ipse magis valitura corallia credam,  
Si ligno rubeas Domini quoque sanguine fixi.

## ADAMUS Nöder/ Camentio-Lusatus.

Insulæ,

**L**AUDIBUS advenit, *Rädere*, Tibi insula dandis.  
Facto indigneris, nolim. Das nomina multa,  
Quæ laudare decet, multis ut spargitur ingens  
Oceanus terris, vasto quas corpore cingit.  
Et facta hac etiam tua verus imagine pandam,  
In patria sicciam *Nietnerus* subjicit oram  
In ponto. Terram *Grosmannus* claudere vidit  
Pontum, quique pari *Lindnerus* munere functus.  
*Hartmannus* censet, positum esse immobile pondus.  
Quæ dat Zitta urbes infestant fata marinas.  
Barbara *Ziegerus* referunt & *Curtius* arma.  
*Weifus* imperio molli *Mirusque* gubernant.  
Commoda cum numero depromit *Lipsia* multo.  
*Vulcani Schmidius* fabricas describit. Amores  
Exponit *Cyprios Cyprianus*. *Menckius* urnas  
Dat Samias Genitor. Natus præponitur Andro.  
Præparat ad Siculas *Olearius* horrea fruges.  
*Pfautzius* in Delo multa & *Dicelius* audit.  
*Heshusius* Rhodium videt *Ernestique* colossum.  
*Fridrici* in vanam Cretam & *Weidlingius* ibant.

Les-

Lesboas quærit vites *Ludovicus & Hardtus.*  
 Quid sacros dicam notum fecisse Magistros?  
 Quod cœlum intravit, *Carpzovius* Anglia magna est.  
 Serpentum ex domibus signatam *Olearius* offert.  
 Proximus *Irtigius* possit Balearicus esse.  
*Rotthiadem* texit frigens Islandia lethi.  
 Verbi divitias *Güntherus* portat ab Indis,  
 Quin *Seligmanni* paucis quis nomina ponat  
 Et quæ cum Socero insigni *Pippingius* addit,  
*Hornius*, atque novæ rupes *Steinbachius* ædis?  
 Quidq; eris ulterius? Perstent Tibi porro faventes,  
*Hillmannus* patriæ Consul, clarusque Senatus,  
 Parsque Senatorum præstans *Kaulfusius*, & post  
 Insula crediderim quod fortunata fereris.

**JOH. CHRISTIANUS Koch/ Kauffunga-Misnicus.**  
 Calor aquæ.

**L**Ymphæ par cursus studiorum creditur esse,  
 Quem sequeris, *Kochi*, calidæ. Miraberis ista  
 Ponere cur placeat nostræ simulacra Camœnæ?  
 Quod stomachum stimulet, coquus haud quid co-  
 xerit unquam,  
 Seu jus, seu pultem faciat, nisi ferveat unda.  
 Ut fas, sic etiamque tuis adplausero factis.  
 Altenburgensis Phœbi feryore Lyceum  
 Quod viget, ignitis primum Te viribus implet.  
 Qui Görlicensis virtus nunc fervida Pindi,  
 Grofferus, fecit calidum, vis solis ut æquor.  
 Ut focus humores flammâ calefecit in ollis  
 Hæmi materia pingui *Wentzelius* ardens.  
 Ad thérmas magna est vis subterraneus ignis,

In doctis præstat qui sulphure *Friesius* antris.  
 Principio accedit post istos Lipsia rerum.  
 Pansophici expellunt Doctores ordine frigus.  
 Ex habitu primum naturæ horrente tepescit  
*Fridrici*, haud tepida in Domini rejectio vultu.  
*Pezoldus* fumos spirat liquidosque vapores  
 Lecta ex Castaliis nubes densissima succis.  
 Bullis fervescens non paucis exsilit *Hardius*,  
 Qui spiris varias variis se volvit in artes.  
 Quod calet, Eusebie multos convertit in usus.  
 Affusus tactas res *Rechenbergius* urit,  
 Fervidus obstantis non parva ad vulnera partis.  
 Est modicus *Schmidius*, labes depellat ut ægras,  
 In cunctâ sani re conservatio cordis.  
*Ittigius* placidis campo dat gramina nimbis,  
 Ex radiis coeli vegetis calidissimus imber.  
 Apparat ad Domini coenam venientibus escas  
*Güntherus* tantis dignus multa arte culinis.  
 Quotque ex Te sument, *Kochi*, non commoda recti?  
 Vita calor mundo est, vita est, quæ, rebus, in isto.

### Gottlob Ehrenfried Wendi Regio-Ponto-Lusatus.

Pontes.

**P**er mare, per fluvios, *Wendi*, via sternitur à Te.  
 Nam geris in patriæ non viles nomine pontes.  
 Ceperis & si queis videam rationibus artes,  
 Immensa pontem fieri Te mole putarim,  
 Ad faustas per quem tuto transibit furbes,  
 Dum superas dubiæ rapidissima flumina vitæ.  
 Res primum incepta est, fabros dum Grimma peritos:  
 Obtulit. In validis ponit fundamina saxis.

Illu-

Illustris Petermannus firma anchora Pindi.  
 Per quem protendatur opus, Schœnbachius amnem  
 Exhibit, in cœli qui nunc devolvitur oris.  
 Brachia structuræ impedit, fortesque lacertos  
*Ermelius*, docti vis robustissima Phœbi.  
 Materiamque humeris partim, partimque vehiclis  
 Portat, decipiens cantu quæ dura, *Jacobi*.  
 Lipsia consummat coeptum, facilique periclo  
 Quos valeat monstrat post hæc pons structus ad  
 Afferibus Rechebergerus laquearia sternit. (usus.  
 Carceribus claudit, dum transit forte viator,  
*Ittigius* cautus, ne delabatur in undas.  
 In glaciem Seligmannus munimina condit,  
 Et fluctus sexis, positisque in limine claustris  
 In sœvum atque seris firmis *Olearius* hostem.  
 Perque viam incedit stridens jam turba recentem.  
 Currus cum plaustris *Schmidius* transportat onustis.  
*Ernestii* it pedibus, veheris, *Cypriane*, caballo.  
 Cum cophino ex cultis *Menckenius* ibit uterque  
 Campis, exque suis cum corbe *Olearius* hortis.  
 Cumque suis strepitat turmis exercitus *Hardso*.  
 Principiumque hoc est tantum. Confertius in Te  
 Inter perpetuos occursus pondus habebis,  
 Quando gregem in templis duces ad pabula pastor.  
 Curator faciat fortemque *Hennischius* istam,  
 Ad Cœli per quem Grimmæ transcurritur arces.

JOH. Friedrich Wizleben / Querfurten sis Saxo.  
 Nidi & receptacula pisium.

Inveniunt in aquis accepta habitacula pisces,  
 In fundo lateant, seu post umbracula cannæ,

Ar.

Arboris ad ripas seu sub radice virentis.  
*Witzlebi*, ista tuis do dormitoria factis.  
 Namque tuum pectus sumsit sapientia sedem.  
 Muniit ipse pater. Fidum Gorschlebia quem nunc  
 Audit Pastorem, tunc Querfurtensis Apollo  
 Continuavit opus *Webelius*: inque recessu  
 Isto *Bauerus* statio tutissima Phoebi.  
 Weissenfelsa aptas sensis prudentibus ædes  
 Extruxit post hos. Fortis *Leisthenius* arx est.  
 Arx est perfugium variae *Guthierius* artis.  
 Facundique valens habitatio *Stangius* oris.  
*Schieferdeckerus* latebras quoq; monstrat uterque,  
 Quemque modo Eusebie Jenæ diademate cinxit,  
 Weissenfelsa tuis qui thusque supremus in aris  
 Jam dudum antistes meritis ingentibus urit.  
 Lipsia Pansophiaæ primum munimina pandit.  
 In gremium recipit mentem *Cyprianus & Hardtus*.  
 Turres *Menckenii* monstrabant aggere firmas.  
*Ernesti* insidias evitat sepibus hostis.  
 Pax bona *Fridrico* duris ex sentibus orta est.  
 Occultæ quærerit *Ludovici* viscera terræ.  
 Confidit ramis *Weidlingius* arboris. Inque  
 Putribus hospitium est *Pezoldo* optabile truncis.  
 Eusebie paribus præstat tuta omnia fatis.  
 Te montes *Schmidius*, *Cyprianus* quærere jussit.  
 Per *Seligmannum* Tibi mansio facta salutis.  
*Ittigius* petiti Domini per vulnera fossas.  
*Rotthius* in coelum orbis diversoria vertit.  
 Te quoque *Wernerus* sic & *Pippingius* abdunt,  
 Svave tabernaculum svadæ quos dixerunt sanctæ.  
 Desino. Qui tutas vultis, eoncurrite, sedes.  
 Namque facit fausto *Witzlebius* omne nidos.

Gott-

Gottlieb Samuel Treuer/ Magdeburgensis.

Infidelitas maris.

**N**ulla fides ponto est. Mutat, quæ spondet, in  
horas,  
In magnas lapsus tempestatesque peribit  
Mox, qui tranquillis potuit confidere rebus  
Paulo ante. Appares, Treuere, fidelior at Tu,  
Nomine constantem sistis. Constantia Patrem  
Ornat, dum peragit sancti præconia verbi,  
Magdeburgiacæ Sanctus quod Spiritus urbis  
Nuncupat in templo. Totius lustroque vitæ  
Si res & cultas studiis ferventibus artes,  
Non est, fallacis spectet qui crimina fraudis.  
Virtutem insinuat Tibi tantam urbanus Apollō  
In Patriâ ante omnes. Nunquam deceptio sensus  
Fœdaretque tuos, durans custodia fecit  
Conventorum isto Cuno Rex summus in Hæmo,  
Æterna in rebus Bergnerus curaque pactis,  
Rex post Cunonem clara cum laude secundus.  
Lipsia sponsorum reddit post ista tenacem.  
Pansophicis primum studiis hæc maxima laus est.  
Non commendatum sibi fluxas ducit ad artes  
Promissorum Harditus firma inconcussaque virtus.  
Non à proposito Schmidio deduceris ullo,  
Dogmata dum veri verbi cœlestia profert.  
Nec secus ac dixit, Ludovici egisse videtur,  
Eoas promens immoto ex pectori linguis.  
Ut reliquos taceam, tum quos stipendia præstant  
Publica Doctores, tum quorum visa tueris  
Præsidio in Cathedrâ; sive Hallervordus haberet  
Te Respondentem, Richterus sive disertum.

Tam

Tam certa sed Tu quoque gaude mente. Fidelem  
 Persequitur non ægra fides. *Kregelius* inde  
 Lipsiaci stabilis Fautor pars clara Senatus  
 Manserit. Assiduus Tibi sic volet esse Patronus,  
 In quo Prussiacus dudum miracula spectat  
 Rex fidei, Heroum lux *Ackenhusius* ingens.

JOH. BALTHASAR HEMPELIUS  
 Muscovia Lusatus.

Mutata in nuptiis Cananæis aqua in vinum.

**C**um Sophie, ut sponsa, socialia foedera jungis,  
*Hempeli*, ut sponsus. Mutatam in Cœcuba lym-  
 pham

Tradere quid dubitem danda ad præconia, qvondam  
 Quæ Dœminus tulerat Cananæis munera nuptis.  
 Teque etiam docti mutant in vina Magistri.  
 Hæc à Laubanis fieri mutatio Musis  
 Incepit. Tenuis lympharum essentia cessit,  
 Dum *Seydemanni* favor indit plurima sanctus,  
*Hoffmannus* que operis, multoque fidelis amore.  
 Spiritibus ferves mox nobilioribus, in Te  
 Dum *Pater* exonerat res Pindi quarta Camœna,  
 Tertius hasque deas *Reichwitzius* ordine sistens.  
 Post aqueos *Gudius* vini dedit esse colores,  
 Wisensis qui nunc depingit templa Sionis.  
 Inque alios etiam convertit cuncta sapores  
*Hoffmannus*, clari virtus sapidissima Pindi.  
 Miracli seriem præsentat Lipsia totam.  
*Günthero* Dominus structa ad convivia venit.  
 Observat, vinum quod non, *Olearius*, adsit.  
 Auxilium ostensis petuit defectibus *Hardtus*.

Auxi-

Auxilio nondum est quod tempus, *Menckius* audit,  
 Ut facerent, Dominus quod vellet, *Menckius* alter  
 Præcepit servis. Positas sex conspicit urnas  
*Ernesti*: Ut jussum est, *Ludovico* humoribus implet  
 Servitia. *Ittigio* sentitur nobile vinum  
 Et *Seligmanno*. Felicem *Olearius* haustu  
 Vini hilaris dicit sponsum *Schmidiusque*, receptum  
 Propterque hoc gaudens *Cyprianus* nobile munus.  
*Herrichius* sed mox convivis pocula portat,  
*Blossius* eximio studio fervensque minister,  
 Et qui nunc patriæ *Gumprechtus* potio pubis.  
 In Domini cedent quantam hæc miracula laudem!  
 Laus patrii idque velit *Güntherus* summa Senatus,  
 Inque suis *Sanus* sparsissima gloria templis.

JOH. GEORGIUS Schuster / Camentio-Lusatus.  
 Nivis albedo.

**S**chustere, occurris piceis squaloribus ater  
 Sutor qua nomen. Sed res candoribus albas  
 Mens superat niveis semper nitidissima formis.  
 Laudibus ergo nives aqueas affigno canendis.  
 In patria infusum est doctæ lac nobile menti.  
*Nietnerus* docuit pulchræ lux candida lanæ,  
*Cycnos Grosmannus* vincensque coloribus ipsos.  
 Teque etiam fecit carentem gloria pura  
*Hartmannus* Pindi, *Hartmanno* qui proximus adstat  
*Lindnerus* socius non tactaque fama Lycei.  
 Non alias habitus præstabit Zitta videndos.  
 Formæ lux erat hic odium admirabile nigræ  
*Mirus*, quoque magis nemo vim nominis implet  
*Weisius*. Inceptos consummat Lipsia vultus.

Pars

Pars albas inter *Cyprianus* pulchra columbas.  
 Chartam *Menckenii*, cretas *Olearius* in se  
 Totaque *Fridrici* splendentia linteas sistunt.  
 Lac nivis extinguit *Schmidius* non flatibus austri,  
 Sordidus haud calcat pedibus *Weidlingius* undis.  
*Ernesti* corvis studuit contrarius esse,  
 Spectanti occurrit non carbonarius *Hardtus*.  
*Pfautzius* obscenæ mortis velamina tollit.  
 Infausti tenebras *Ludovici* carceris aufert.  
 Quæque inter sanctos lux non exsplenduit ausus?  
 Ducendo ad cœlos sic mittunt *Hornius* orbi  
 Et *Seligmannus* divinæ fulgura svadæ.  
 Sic divinarum diffundunt lumina rerum  
*Güntherus*, *Schmidius*, factus fax inclyta cœli  
*Rotthius*, *Ittigius* via non temerata salutis,  
*Rechenbergerus*, canisque *Olearius* ardens.  
 O candor! Quæ non Ecclesia commoda speret?  
*Hillmannusque* juvent patriæ istud splendidus Atlas,  
 Sarmatici annonæ Regis *Kaphahnus* arca,  
 Mercurii nostræ luxque *Haberkornius* urbis.

## JACOBUS FRIDERICUS PHILIPPI, Lipsiensis.

Paratus per aquas victus.

**P**Anis erit populis saturandis unde *Philippe?*  
 Sic à discipulo Dominus quærebat, ut ingens  
 Christum, ut perciperet verba entheas, turba secuta  
 Nulla dies stomachis per tres alimenta dedissent.  
 Tuncq; famem removent eqvidem mira oula duram.  
 Numinis ex posito sed Tu scis ordine victimum  
 Produc, terræ cum fœcundantur ab undis,  
 Humida cum siccis naturam imitataque matrem

Ars

Ars miscet. Constat, fructus frumentaque nasci,  
 Quando humor vegetat concreta semina sulcis.  
 Nutriri in fluvii pisces per flumina nosti.  
 In potus hominis notum est conducere fontes.  
 Quid viua adducam, viridis quid pomaque sylvæ?  
 Vallibus inque uidis crescens in pabula gramen,  
 Quæ carnes præbent gratas, animalibus, escas  
 Mortali generi? Non ars convivia condit  
 Deteriora humens. Dant sic cocta hordea potum:  
 Sic assus nutrit veruex, elixaque porca,  
 Lactuca exque olei quæ sit pinguedine dulcis.  
 Hæc habuere omnes, qui Te docuere, Magistri;  
 Wideravensi verbi qui pocula plebi  
 Fons fert Bærnerus: puris molitore que saccos,  
 Müllerus, Musis quo comples, Phoebe, farinæ  
 Chemnitii. Heshūsum dedit hoc quoque Lipsia fine,  
 Et Schmidium, ambrosiæ qui ponit fercula. Cumque  
 hoc

Nectaris implevit sitientes Hardius haustu:  
 Non temerata babit, Pater &, qui pocula iuris.  
 Hæc capis egregia bene tradita mente, Philippi.  
 Tu perge, atque animatum donis majoribus imple.  
 Mox plura adquæ cibos pandent conclavia portas.  
 Hactenus affecta est dapibus mens molliter. Ad Te  
 Mox fortuna feret mensas pronissima; facta,  
 Corporis &, fortis sequitur qui prospera, pastum.

FRIDERICUS Schinkopf/ Weissenfelsa. Misericus:  
 Nubes.

**S**chinkopf, gravidam recte Te dixero nubem:  
 Colligis in pressas nam sic solatia mentes,

F

Frons

Frons cœli recreat fessos ut tristior agros.  
 Quin patriæ illustris monstrat quoque nubila lu-  
 ctus,  
 Dum Patris Patriæ celissima funera lœdunt  
 Morte genus focrus celsum. Primordia nubis  
 Sed Tibi fert patriæ præstans *Hüfflerus Apollo*,  
 Extrahit ex terris calido dum sole vapores.  
 Efficit ex fumis post istum tegmina cœli  
 Gymnasium Augusti clarum per nomina nomen.  
 Congregat immenso diffusum ex æthere, docto  
 Humorem, ex Pindo extractus *Leibhenius humor*.  
 Crassius in corpus cogit per frigora mota  
 Aerā condensans gelidis *Gutbierius auris*.  
 Suspensum servat firmis moto æthere ventis  
 Ventorum in juris dis *Heidenreichius usus*.  
 Lipsia per varias versavit in æthere formas.  
 Disgregat in tenues fibras *Weidlingius*, urna  
 Musarum haud gracili pronarum pectora plenus.  
 Schreiterus denso junctum facit agmine volvi  
 Pegasei ex nebulis vis confertissima fontis.  
 Destituit terras totius lumine solis  
*Menckius*, in tenebras qui pectora terrea mittit.  
 Divulsa interdum radios transfundit in orbem  
 Mole haud exiguis scissura *Olearia virgis*.  
 Admovit cœlum mox *Seligmannus* in ipsum  
 Inter summa volans lux maxima sidera. Terras  
 Sed petit abjectas *Schmidius*, per climata mundi  
 Plurima depresso ut portet commoda sensis.  
 Quam jure Hippocrates nube *Habermasius* ista  
 Gaudet! Maturos in quam sed miseris imbris  
 Ipsa oram. Siccas patria offert nomine rupes.

Esse

Esse solum mentis sed credo arentius ægræ.  
In saxa ergo hæc Te pluviam effusissima solve.

JOHANNES Gotthilff MERBITZ, Dresdensis.  
Salsedo maris.

**Q**uis marè, Merbitzi, nollet cognoscere salsum  
In Te? Nempe maris tangis prudentia mentem,  
Attentis oculis, data cum cognomina lustro, \*  
Quorum principium ponti sic flumina sistit,  
Occupat extreum multa ut sapientia finem.  
Et circumspecti sal signum pectoris adfert.  
Sed res ipsa in Te nomen salsedine vinicit.  
Integritas primæ sic alba est pura juventæ,  
Ante alias ut res quoque sal candore superbit.  
Nonne incorruptos mores à crimine præstant,  
Quæ tibi virtutes suadent, præcepta docentum,  
Ut sal fetentes feces à carnibus arcet?  
Quin in delicias vertit mens cauta labores,  
Insipidas per se vegetum sal condit ut escas,  
Inque avidos gratas stomachos & viscera mittit.  
Quàm recte fiant Pater omnia conspicit annis  
In primis, stimulis Dresdani in vertice Pindi  
Toxica dum removet vitiantia pectus acerbis.  
Post Genitorem indit virtutem Lipsia menti.  
Hoc fine haud parvus Fridrici ex montibus aufert  
Grumos. Acceptas lymphas Menckenius alti  
Colat. Per calidos ignes ex fontibus hausta  
Excoquit excoctor Cyprianus nobilis. Usus  
Applicat ad varios falsamentarius Hardtus  
Res sic servatas. Hominum nunc grana saluti

F 2.

Pfan-

\* Mervitz, quasi Meerwitz/maris prudentia, h.e. salsedo.

*Pfautzins* exhibuit curandæ sicca: liquoris  
 Nunc fluidi in guttas redigit. Ne copia tristem  
 Afferat, impediit certa *Dicelius* arte,  
 Corporis ad labem neu prona penuria noxam.  
 Paucis quidque loquar, salium quæ commoda jactes?  
 Quæreris à sanis, à lassis quæreris ægris.  
 A Te viventes, fatis raptique juvantur.  
 Sed ne collectas vires tu perdit. Salsus  
 Quantumque ostendes prosis *Merwitzius* orbi.

DAVID Dietrich Schirr / Rintelio-Schaum-  
 burgicus.

Spuma aquæ.

**I**N patria spumas, *Schirri*, Schaumburgicus ad-  
 fers.

Quid mirum est, nostram bullas producere Musam  
 In Te? Perque istas docuerunt multa Magistri.  
 Gymnasio in patrio Te facta ad recta moveres,  
 Ut spuma ex motu est, poscit *Merckelius*, Hæmo  
 In patrio haud tenuis studiosæ agitatio pubis  
 Tunc, sed divini fervens nunc actio templi,  
 Exque scholæ motu pariter translatus ad aras  
*Dohmianus* in cunctis veneranda impulsio rebus.  
 Formam miratur post Hervordense Lyceum.  
*Toppius* adspecta sit mens albedine mandat  
 Candida sic etiam. Spirarum ut cernit in orbes  
 Consertos orbes, *Müllerus* maximus orbis  
 Ipse infinitæ doctrinæ, pectora multis  
 Pansophicus rebus perfundat circulus, urget.  
 Aspicit in patriis ornatam Academia muris  
 Sic undam ex spumis, pulchra est ut virgo coronis.

Men-

Mentem exornares virtutibus ergo jubebant  
 Eusebii sanctæ Kiskerii nobile fertum;  
 Plusque artes decorans, quam splendida sidera cœ-  
 lum,

Calvumque angelico pellens Kahlerus amictu  
 Nomen. Sufficit, quæ restant Lipsia. Fluxa est  
 Res spuma Ittigio: Fluxa est, Pippingius instat.  
 Piscibus esse cibum norunt, Reineccius, Hardtus,  
*Weisius & Schmidius*, cumque his Weidlingius. Unda  
 Cum fervet, gyros calidos Olearius ollis  
 Et Seligmanno socius Dicelius aufert.  
 O mihi de spumis quanta affert commoda nata  
 Doctrina! Ex spuma quondam Venus orta marina  
 In mundum insanos insanum induxit amores.  
 Castior at scitas Tibi res ingessit origo.  
 Ætherea æthereis dabis ergo incendia sensis;  
 Cæsaream illustrat factis quæ sæpe Viennam,  
 Mercurii exemplum est flamma ut sanctissima Fra-  
 ter.

### CHRISTOPHORUS Buchwald / Schwibusio- Silesius.

Modi transeundi per aquam.

**D**E magno trita est multis narratio libris  
 Christophoro, hunc humeris puerum sumsis-  
 se ferendum  
 Christum, perque amnem tutum portasse profun-  
 dum,  
 Ob corpus quod non posset transcurrere parvum.  
 Num quæ sic credam memorantur vera fuisse?  
 Non puto. Fieta bono est res tota hæc fabula fine.

Namque docet, dominum qui complectatur amore,  
 Veræ hominem Christum fidei per brachia ferre,  
 In mundo vitæ fluxæ dum transeat æquor.  
 Quicquid id est, rebus res hæc non quadrat inique  
 Jam, *Buchwalde*, tuis. Nam dum baptismatis undis  
 Tingeris, imposuit Genitor portantia Christum  
 Nomina. Dumque aqueas sectamur carmine lau-  
 des,

Sic licitum est varias rationes sistere, per quas  
 Magnos & parvos recte superabimus amnes.  
 Interjecta & tu felix dum flumina transis,  
 Donec Phœbi intres & doctæ Pallados arces,  
 Non uno auxilio, sumas ut vota, levaris.  
 Pons erat *Hartmannus* primis robustus in annis,  
 Cum *Züllichenſi* versaris parvus in Hæmo.  
 Curribus imposito *Grosserus* littora querit  
 Ulteriora Tibi, Musarum currus onustus  
 Mercibus innumeris, dum Görlicense Lyceum  
 Ex opibus ditat proprioribus, exque remotis.  
 Tutum iter inventis aliis Tibi Lipsia fecit.  
 Exsolvit cymbas *Cyprianus* naula regenti.  
 In positō in fluviis *Olearius* aggere transfert.  
 Per parvos saltu rivos iter invenit *Hardius*.  
 Transcedit *Schmidius* majora obstacula nando.  
 Aulam Phœbi igitur post exsuperata pericla  
 Jam, *Buchwalde*, subis. Subeas ut templa Sionis  
 Sic etiam, restat. Fueritque facilissima res hæc.  
 Namque mare ipsum etiam Tibi si videatur ob-  
 esse,  
 Ut Petro, à Domino pontus pons sternitur ipse.

Georg

**Georg Ehrenfried Behrnauer/ Lœbavio-Lusatus.**  
Ros.

**C**amporum affertur tractus depresso à Te,  
*Behrnauere.* Tuis rorem ergo sumito factis.  
Quo valles cœlum, non saxa excelsa coronat.  
Atque etiam recreat Genitor ferventibus usta  
Æstibus æthereo plagarum pectora rore,  
In patriæ sanctis ros disjectissimus agris.  
Viribus incipiunt quin imo virescere firmis,  
Dum tua Palladiis sparguntur pectora guttis,  
Quæ quondam torpens inscitia languida fecit.  
Aurora affulxit dandis humoribus istis  
In patriâ, quo Te *Güntherus* tempore tractat,  
Assidue insignis fessæ exhilaratio pubis.  
Per nebulas sparsit solatia frigida densas,  
Qui Budissino, *Rosenbergerus*, in Hæmo  
Erigit ex calido projectam sole juventam,  
Lipsia monstrabat, quo sit res ordine facta.  
Ignea dum spargit radiorum sidera Phœbus,  
Extrahit *Itrigius* terrarum ex fonte vapores.  
Post calidi occasum distendit frigora solis  
In terra *Seligmannus*. Per frigora fumos  
In nubes densat canas *Olearius*. Auris  
Digerit ex gelidis nubes urgenter *Hardtus*  
In guttas nondum plenas. Per gramina pendet  
A *Schmidio* affixus liquor. Madefactus in ædes,  
Ad somnos rediit dulces *Dicelius*. Arva  
Sic vespertinis reperit *Güntherus* in horis  
Aspersa; ex cœlo fugiunt cum sidera clare,  
*Fridrici*. Ut pulchras lotis *Olearius* indat  
Colligit his formas membris humoribus; ægros

Ex mōrbo ut rapiat tristi *Pippingius* artus,  
Pharmaca cui cedant, factō medicamine, cuncta.  
O nulla, utilitas, superant quam commoda mun-  
di.

Sed tibi, lassavit quando datus artibus ardor,  
Reddat lætam ut ros Domini benedictio mentem.

**JOH. GOTTERRIDUS OLEARIUS, Sangerhusa-**  
**Thuring.**

Phari s. Speculae marinæ.

**I**Nfusis lychnos oleis *Olearius* auget.  
Ergo Pharus fuerit constructa in littore turris,  
Quæ monstret portus in ponto classibus actis,  
Magnifici exemplo *Genitoris*, lampade verbi  
Tempore qui dii Lux splendentissima quovis,  
Ad cœlum monstrat quo cursu navigat aula  
Weissenfelsensis, Domino acceptissima navis.  
In similemque etiam cura est exsurgere pyrgum,  
Chare, Tibi. Possis quâ, sumta est insula, ponî  
A *Gottlæhero*, Damensis fulgida templi  
Qui populi in tutum ducit Cynosura phaselos.  
Dictus ab Augusto molem Hæmus movit in altum.  
*Leisthenius* saxo compagem calceque format,  
Quo non in toto res firmior ulla Lyceo.  
Eusebies nuper vestitus tegmine sancto,  
Schieferdeccerus, texit velamine muros.  
*Stangiada*, teneat quæ lumina, pertica fixa est,  
Qui dudum in rebus res protensissima claris.  
Materiam pingue fundit *Gutbierius* igni,  
Per cultum rutilans flamma ardentissima Pindum.  
Post hos ad certos Philurea accommodat usus.

In

In summa promita est pax tempestate *Fridricus.*  
 Piratis Rector frænos *Olearius* obdit.  
 Præsidium in miseras lucet *Cyprianus* arenas.  
 Auxilia in scopulos *Schmidius* promtissima præstat.  
 Errorem historicus pepulit *Menckenius* omnem.  
 Inque nocere avidas patuit *Reineccius* hydras.  
 O Speculam! Similem quæ gens fer jactitet un-  
     quam?  
 Haud tanta Ægypto est condit quam Sostratus,  
     haud est  
 Ut jussit Cæsar qua *Claudius* Ostia fulsit.  
 Fausta, quibus poteris vires has spargere templis!  
 Lipsia perspicua est multum, quam plurima nuper.  
 Dum fixa in vicis noctem candela fugavit.  
 Illustris fuerit sed plus Ecclesia per Te.

ADAM THEODORUS *Wendehuth* / Nieder-  
 dorla-Thuringus.

Irrigationes.

**F**Rugifera & faustis quæ messibus horrea com-  
     plet  
 Te, *Wendehutti*, genuit Thuringia. Cunctæ  
 Fertilitas igitur memini quod prospera terræ  
 Imbibitis haustu largo exoriatur ab undis.  
 Luxuriansque etiam docta mens arte superbit,  
 Pinguibus ut rident locupletes frugibus agri,  
 Excoquit in madidis postquam sol semina sulcis.  
 Isenacenses avertunt arida Musæ  
 Ante omnes. Primus qui *Borstelmannus* Apollo  
 Imminuit solis radios. Qui proximus isti  
 Adstat, siccantes *Zeidlerus* abegerat Euros.

Mox Erfurten sis lymphas Academia fudit.  
 Ex nive Premeri restant Tibi liquida verna.  
 Humidus ex tepidis fit Wollenhauptius auris.  
 Vicinus madidat sua Weissenbornius ut fons.  
 Ad similes usus patefit vegetissima Jena.  
 Grandine torpentes Hebestreitius imbuit oras.  
 Mollit Treunerus moderato frigore glebas.  
 Beckmannus picea dat nocte levamina tostis  
 Vallibus auroramque ferens Veltheimius udam.  
 Tandem humectantes divisit Lipsia vires.  
 In sata dimittit tumidos Olearius amnes.  
 Effectis Schmidius fossis in prataque rivos,  
 Ros Seligmannus refovendis pendet in herbis.  
 Ex puteis depromit aquas Cyprianus in hortis.  
 Defessa ex nebulis animat Weidlingius ortis.  
 Non sicca in montes sitientes fulmina torquet  
 Fulgure fœcundo nubes Dicelius ardens.  
 Sancti Wernerus pluvia est uberrima verbi,  
 Starckius Ebraica lingua que feracior imber.  
 Dicite si mundum cœlum magis irrigat unquam.  
 Sed Tu venturis dispende Ecclesia rebus  
 Cellas. Nam quos tot sparsit rationibus æther,  
 Fructibus implebit Domini benedictio campos.

FRIDERICUS KLETSCHIUS, Zilenzio-  
 Neo - March.

Arenæ.

**M**Archicus accipito, queis Marchia abundat,  
 arenas.  
 Quas trado, tenues, Kletschi, ne dicitu laudes.  
 Namque Tibi desunt, sabuli quæ crimina vulgant;

Fœ-

Fœnore præsto adsunt bona commendataque  
multo.

Ne sterilis fieret facies, neve arida campi,  
In patria impediit *Waltherus*, maxima Pindi  
Tempore fertilitas isto, Drosdenis in æde  
Sed nunc fructiferos cœlesti fruge Sionis  
Exsuperans Præsul campos, & fructibus hortos.  
Post, ne Te scrupulus stimulis pungentibus ullus  
Læderet, effectum est, postquam Te Drosda rece-  
pit

*Waltherum* ex patria comitatum sede, fugavit  
Sollicitosque animos postquam *Benwitzius* ingens  
Lætitia, inque Dei transfundens anxia curas.  
Conspecta in danda est Zitta utilitate faburræ,  
Saxosq; exsiccat scribentis pulvere ductum  
*Curtius*. Accepit *Mirus* de littore ponti  
Materiam, insternitque viam, ne stercora currus  
Demergant, maculis neu pompa pallia foedent,  
Inter pulvinos spatia æquat *Weissus* horti  
Cum viridi cultu rubra flavedine mixta.  
Quin etiam ædificat robustos *Lipsia* muros.  
In latere admiscet terræ sua saxa coquendo,  
Non tenui coctor præstans *Olearius* arte.  
Dat multam ingestu *Schmidius* vim robore calci,  
Ponendam ut vinclis constringat fortibus arcem.  
Hæc Præceptores. Sed quid fecere Patroni?  
Efficiunt stabiles ingestu pondere naves  
*Possardi*, in patriæ vis prima secundaque templis.  
*Neumanno*, quo se felicem Curia jactat  
Consule, completa est, siccataque fœda vorago.  
Servat arenosis poma integra *Lierschius* antris,

*Smol-*

*Smollius & pronus Fechnerus Avunculus in Te.  
Quam bona tot, citius ponti numerabis arenas.*

MICHAEL HEINR. Griebner / Lips.  
J.U.Candidat.

*Supplicia facinorosorum per aquas.*

**M**Agnes eris Baldus, venerandi mystaque juris  
Quondam. Dum laudes trado , *Griebnere,*  
*Magistris,*

Ergo aqueas, visum est, in Te producere poenas,  
Quas madido fontes dira ob malefacta luerunt  
Suppicio, in fluctus immittere sive profundos  
In collo appensis saxis ; ob facta nefanda ,  
Queis Patri fuerat, vel nato injuria facta,  
Seu fæcco inclusos fluviis inferre, placeret.

Justitiae officium namque est punire nocentes.  
Auget Teque suos causa hac Astræa Patronos.  
Huc Te docebant in prima ætate Magistri,  
Altstedii extinctus nuper Röhrichtius Orpheus ;  
Dippoldi in sylvis Möllerus doctus Apollo ;  
Cœlum Ackermannus demonstrans castra secutis :  
Clara in Niclai Dreslerus Musaque Pindo.  
Poena esset pravis, Sophici monuere Magistri.  
Pfautzius & rigidus Cyprianus carcere mulctat ;  
Menckius exilio, Ludovici fustibus. Inque .  
Infanda Heshusius crucibus suspendia jactat.  
Percutit Herrichius gladio. Per saxa necabat  
Blosius. Occidit peccantes Starckius igne.  
Crellius in cædes vult & perjuria durus,  
Turpes in Veneres Olearius esse severus,  
Qui nunc in Phœbi vigilat delicta Clientum,

Fasci-

Fascibus insignis Rector, multaque securi.  
 Denique quid dicam docuisse oracula Themistos?  
 Nil impunitum *Genitor* dimittere suadet,  
 Quod jus Cæsareum pariter sacrumque juberet.  
 Sic positis *Titius* cautum est in legibus, inquit,  
*Bornius* in praxi sic dixerat esse forensi.  
 Prava, homines, feriat ne vos vindicta, cavete.  
 Expectate viri quin præmia plurima justi.  
 Qui foedis tradit titulis ad tartara turpes,  
 Promptior ad coelum donis res mittit honestas.

MARTINUS Lange / Leisnigio - Misnicus,  
 Jurium Candidatus.

Manus à Pilato in testimonium translatæ à se in Iudeos cul-  
 pæ lotæ, cum Christum ad crucem damnare vellet.  
**P**latum in patria exortus quondam urbe Patrono-  
 Conatu vano recte fecisse docebat, (nus  
 Quod Salvatorem morti addixisset. Ad orci  
 Quæ detrudatur tenebras sententia digna.  
 Sed tamen ex aliquo pèto nunc præconia factò  
 Danda Tibi, *Langi*, Pilati, jure tremendum  
 Quo lavasse manus scriptum est tunc ante tribunal,  
 In mortem, quum, quem norat sine crimine, vellet  
 Tradere, quo scirent, vitio culpaque carere  
 Sese, omnes, quæ sit profuso in sanguine justo.  
 Atque equidem fuerat vana excusatio facti.  
 Qui justus fuérat, fas non est tollere cæde.  
 Nec delet mentis membrorum ablutio crimen.  
 Ergo judicio meliori pectora pura  
 Conservare puto, fora qui ter sancta gubernat,  
 A populi si se vitaque opibusque remotum

Sci.

Sciverit. Et sic Tu juris vis esse peritus.  
 Hancque viam in patria jam dixerat esse tenendam  
*Schvartzius*, haud nigris quem signant acta lapillis.  
 Non tulit in justos si quæ tentantur inique  
 Facta viros, custos magnus *Panschelius* æqui.  
 Fiat ne qua bonis injuria Lipsia cavit.  
 Propositum purgat Sophie castissima mentis  
*Hardtus*. Ne linguam stuprent violentia verba,  
 Obstiterit *Schmidius*. Legum ne facta tenorem  
 Invertant studiis pugnat *Weidlingius* ardens.  
 Sed tamen imprimis sancti miracula juris  
 Omne malum tollunt; Baldus *Menckenius* acer  
 Sanguinis innocui custos: Themidosque voluptas  
 Illæsæ *Mylius*; Charis illibataque causæ  
 Ittigius rectæ; nulloque movendus ab ausu  
 Justitiæ *Titus* vindex: Numa quique videtur  
 Castusadhuc nostro *Schvendendörfferus* in orbe.  
 Obene! Non faciet magis ulla lavatio mundum.

JOH. GEORGIUS MARTIUS, Mittwei-  
 densis Misnicus.

Bella navalia.

**M**artias es, Martis, Jane, ergo prælia tradam,  
 In ponto per quæ visos pugnatur in hostes.  
 Sed non invades mala, quæ mundi oppida vastant,  
 Sed quæ doctrinæ tentant evertere dotes.  
 In patrio structa est classis, quæ dimicet, Hæmo,  
*Martini* fecit naves ex assere multas.  
*Helmertus* velum texit, torquetque rudentes.  
*Thorschmidius* clavum cudit, qui cuncta gubernet.  
 Omnia militibus *Bernhardus* munit & armis.

Afra-

Afranus mittit vastum Parnassus in æquor  
Exstructam classem, madidum vultque ire per  
orbem.

Littora dum linqvunt, resonabant tympana Krau-  
tho,

Silligioque tubæ, quoniam ambo prima canentum  
Fama ferebantur. Beckerus panibus implet,  
Dum fit iter, nautas, nunc verbi pabula spargens  
Dresdensi populo. Schreberus tendere cursu,  
Definit, quo fas. Medium mox vadit in altum,  
Mox siccas quærit terras Kirstenius; addit  
Auspiciis avium Rabnerus fata futura.  
Post in conflictus exarsit Lipsia magnos.  
Ictibus inflictos pensat Menckenius ictus,  
Et Schmidius. Gladios vibrant Cyprianus &  
Hardtus.

In latus invehitur concussum Olearius. Acer  
Bombardas Pezoldus habet, fortisque Fridricus.  
Pfeifferus spargit Ludovici & Blossius ignes.  
Non pauca Eusebies quoque fulmina damna dede-  
runt.

Rechenbergerus Schmidiusque in corpora fundunt  
Pugnantum, inque locum, quo stant, Olearius iras.  
Projicit Ittigius raptos cum remige remos.  
Navigia immisis submergit Weisius undis,  
Injectis multis sed Seligmannus arenis.  
Vah vistor! Sed quos dederit victoria fructus?  
In te spectari quales Polentzius optet  
Sarmatici in bellis Domini invictissimus Heros.

JOH.

JOH. ELIAS Helsche / Schleusinga-Francus.

Iucendiorum per aquam extincio:

**I**N Te delemus fusis incendia lymphis,  
Helcki. Paupertas homines depascit, ut ædes  
Flamma. Et mens rerum non gnara voracior igne  
est.

Sed sensum extinguunt Phœbi Tibi munera dāmni.  
Namque iras monstrant duræ contemnere fortis.  
Imbibitasque iurens fugit ignorantia Musas.  
Ad tecta accelerat Schleusinga accensa liquores.  
Gölkelius tractu fluvios advexit equorum;  
Nobile Parnassi flumen. Portaverat obbis  
In plenis Schadius fontes, fons limpidus Hæmi.  
Ex puteo Eusebicus puteus Sontagius haurit.  
Vasa gerens dorso Domini vas Meissius implet.  
In clades hostes immittit Lipsia sœvas.  
Alberti admoveat scalas, Rechebergius hamos.  
In tecto clamans Cyprianus postulat undas.  
Heshusius Schmidiusque addunt syphonibus urnas:  
Quod servare potest, Weidlingius attrahit ad se.  
Injicit Ernestus sistentia rudera flammarum.  
Fert Ludovicus opem diversam, Pfautzius, Hardtus,  
Meisterus, qui nunc Hübnerus Martis in arce,  
Et Schleusingensi Ludovicus Phœbus in urbe,  
Imo furtâ etiam cautus Carpzovius arcet,  
Et Seligmannus. Patitur non sedulus ulla  
Otia Güntherus, multumque oculatior Argus  
Weissius. Excubiis, ne plaga extincta resurgat,  
Irrigius, custos cœli qui lynceus, adstat.  
Præteritum, ergo malum cessat. Ventura movebis  
Post hæc. Efficietque illud Pfitzerus amore

Mets

Mercurii fervens ; nostræ *Peilicius* urbis  
 Pars Patrum insignis ; divini illustre Senatus  
*Falcknerusque* caput ; Cicensi *Artpeus* in aula  
 Dextrâ sui Domini : causas reditusque Monarchæ  
*Magnus Sarmatici* portans *Schönbergius* Atlas.  
 In tot aqua ipse Deus sanat succensa Patronis.

*Adam Gottfried Vogelgesang/ Oederâ-Misnicus.*

Tumor aquarum vernus.

**C**oncentus avium sistit cognomen, *Adame*,  
 Cur non rem tribuam, quæ cū concentibus istis  
 Congruit? Undarum verno sume ergo tumores.  
 Tempore nam volucres modulantur cantica veris,  
 Hac anni humoris vis est atateque major.  
 Imbibitas etiam capis imo madentior artes,  
 Cuncta velut generat juvēnescens udior æstus.  
 Inditur ingenio sœcundo copia crèscens  
 In patria, *Homilio* mentem, quæ recta docente,  
 Dumque ad Musarum duxit *Vulturius* ædes.  
 Mox *Freiberga* magis numerosos inclyta fluctus  
 Volvit. Pratorum parentum fulcit amores  
*Liebius*, in terræ quando haeret viscere succō  
 Largior. Excedit riparum carcere rūpto  
*Beyerus*; Rivos in campos digerit auctos  
 Plus nunc muneribus, quam factū est ante, benigius  
*Fritschius* haud ægræ sana ebullitio venæ.  
 Lipsiaca uberiora visa est largitio tandem.  
*Alberto* nondum vexantur pulvrey terræ.  
 Sæpe domos repetit *Cyprianus* calce lutosā.  
 Luxuriant *Schmidio* non paucis gramina succis.  
 Ad frondem humidior contendit *Menckius* arbor.

G

Plis

Plus roris fundit magis ebrius *Hornius* aër.  
 Oppositas superat moles strepitantior amnis  
*Rechenbergerus*. Non porro cymba videtur  
*Repere Güntheri*, quod vexit debilis unda.  
*Crebrior humectat camposque Olearius* imber.  
 Ex humente in Te quæ non spes vere videtur?  
*Egregiamquæ istam Dresdenia numina spondent*,  
*Principis Eusebie Schräderus* nobilis urbis,  
*Egregia excelsæ Beyerus* fama Themisto,  
*Iustitiaæ pretium Bærnerus* grande timendæ,  
*Lætitia afflicti Carpzovius* enthea verbi,  
*Ingens exque aulæ tot Sol Beichlingius* astris.

CHRISTIANUS Wolff/ Vratislavia-Siles.  
 Piratica.

**N** Omine, *Wolff*, tñngues jactas, faucesq; rapaces.  
 Cur piratarum tribuam non ergo furores?  
 Sed non describam, noceas ut & ipse rapinis.  
*Magnus furta Heros* ut pellas nauticæ tradam.  
*Nam conclusum animo Te Phœbum*, omnesque  
 Camœnas

Complecti visum est, quando explorare juvabat,  
 Quas mente imbiberis studiis ardentibus artes.  
*Jureque nil aliud non parva scientia rerum*  
*Dicitur, in foedos nisi vis fortissima raptus.*  
*Te primum illustri metuit piratica clades*  
*In patria. Namque hic sæuos Neumannus* in hostes  
*Magna infernalis munit formido latronis.*  
*Prædoni obsistit Titius* prædonibus asper,  
*Inque excursores excursor Gryphius* ingens.  
*Hicque etiam in lembo furantes expedit arma*

Poh-

Pohlius in multo sublimis honore triumphi;  
 Kranzii in pulchris semper visusque coronis  
 Ob mare purgatum. Res gestas Jena recenset  
 Ordine. Mülleto pelluntur singula monstra.  
 In vastam sparsit Treunerus fulmina classem:  
 Heū mihi, quām latebras dispersis navibus intrant;  
 Infestas turbas quoties Hebefreitius urget;  
 In tantam pestem prosterrentissima pestis:  
 Affigit crucibus positis per littora captos  
 Cuncta; crucis turpis crux Hambergerus honesta:  
 Venditque in servos Bechmannus publica gentis  
 Libertas miseræ, populique redemptio presli.  
 Quis post ista tuam fugiet non Spartacus iram?  
 Nobilioris amor, parsque exemptissima mundi,  
 Sed Vos Breslenses, oculos adverte, Patres,  
 Ad quas vestra arment juvenem stipendia pugnas.  
 Pompejum victos magnum dixere Quirites  
 Propter piratas. Majus vos querite nomen:  
 Namque decem superat Pompejos Wolfius uatus.

JOH. Gottfried Seyler/ Höeckendorffensis-Misn:  
 Libertas aquæ non constringenda.

**Q**uid restes funesque affers, Seylerè, molestos?  
 Hæc nunquam poterunt retinacula stringere  
 pontum:

Liberabit, quo vult, nec cedit viribus ullis:  
 Commoda quamque hæc sunt rerum simulacra tua:  
 In summa Phœbus Te libertate tuetur; (rum!  
 In rebus qua Te nemo refinebit hostis:  
 Exemplo ipse Pater, dudum et si funere vincitus  
 Non tibi defento monstrabat currere motu;

G z

Hœ-

Hœckendorffensis liberrima lympha Sionis.  
 Grimmensis licitos Pindi nil impedit actus.  
 Cura æqui Petermanno non rupe tenetur.  
 Ut nulli parens vadit Schönbachius amnis,  
 Ipsum etsi lethi nunc vis funesta moretur.  
 Arctis non arcet tunicis Ermelius undas.  
 Compede non vires virtus ligat ulla Jacobi,  
 Vocibus ut nequat nodos modulantibus ipse.  
 Liberiore meant post hæc tua flumina lapsu,  
 Oceanum postquam doctrinæ Lipsia pandit.  
 Projicit obstantis Cyprianus robora molis.  
 Oppositas vertit Genitor Menkenius urbes.  
 Ligna moras cursus validas Olearius urget.  
 Mollibus impugnat ferrumque itionibus Hardtus.  
 Quid dicam à sacris summota obstacula factis.  
 Irruit ut fævus pontus Rechebergius austus.  
 Transcendit muros fluvii Olearius austus.  
 Cisterna Iltigii cohabet non putrida fluxum.  
 Non se vis Schmidii concludi carcere passa est.  
 Non Seligmanni servat custodia fluctus.  
 Fridrico inque ipsis est integra fluxio claustris.  
 Quanta profueris sic utilitate solutus?  
 Sarmatici faveat porro modò Regis in aula  
 Non mare conclusum Juris Bærnerus & æqui,  
 Et, si verba velint interpellare salutis,  
 Tu non tardandus vel dæmonas ibis in ipsos.

GOTTFRIDUS Bobelenz/Sonneburgo-March.

Tranquillitas maris.

**G**ottfridus slistis cum Numine foedera pacis.  
 Ergo tranquillum, Bobelenzi, sumito pontum,  
 Ut

Ut nullo afficitur nonnunquam flamine venti.  
 Pacificusque habitus studiorum cunctus habetur,  
 Recto adquirendas quo nixu tendis ad artes.  
 In patria placidis primum versaris in undis,  
 Dum Te *Geisleri* placido docet ore Camœna;  
*Sylvanus*que dolens non ullo pectora motu.  
 Non Francfurtensis posita est in fluctibus ora,  
 Non cessans mites Musas dum *Christius* indit  
 Pectoris alma quies. Succeedit, Jena, Lyceum  
 Inferius, quod habes. Duros qua sede removit  
*Müllerus* bona pax, & *Lauterbachius* austros.  
 Arcet dissidium post Clausthaliensis aquarum  
 Portus. Confregit nam *Martia Rossius* Euri  
 Arma hic: vis ingens surgitque aquilonis in iras  
*Wernerus*. Pellit post hæc Academia fluctus,  
 Quæ viget ad Viadrum. Sopitas *Liethius* auras.  
 Afflat sopitus fatis. Dimittit in æquor  
 Nil turbaturos radios *Becmannus*, ut ardens  
 Phœbus. Cœruleo cœlo bona spondet *Elertus*.  
 Lipsica cunctarum sed pax tandem optima rerum.  
 Nubem à se *Schmidius* procul & *Carpzovius* egit.  
 Non *Rechebergerus* pluviam aut *Olearius* horret,  
 Tutus habet somnos in nave *Albertus* & *Hardtus*.  
*Fridricus* sinit & *Cyprianus* ludere nautas.  
 Ibat securus lœtas *Ludovicus* ad efcas.  
 Ex saltu *Seligmanno* sunt gaudia piscis.  
 Suspicit in malo *Pippingius* otia veli.  
 Occupat æquoreis cœlum *Wernerus* in umbris.  
 Lætitiis reliquis *Köhlerus* pectora pascit.  
 O si prosperitas porro Te fausta serenet.  
 Spera. Mercurius curabit *Weissus* ingens,  
 Grandis *Romanus* prælustre Caputque *Senatus*.

JOH. CHRISTOPHORUS OERTELIUS, Uthle-  
biā-Schwartzburgicus.

Colores maris.

**P**Ansophicæ, Oerteli, sumis Schwartzburgicus,  
artis

Tradita serta equidem, funesto tegmine tristis  
Non adeo apportans nobis optanda coloris.  
Sed magis objiciunt latus se pectora formis.  
Namque alba imbibiti est species & lucida Phœbi.  
Quis maris ergo in Te non possit nosse colores,  
Quos varios docti monstrarunt esse Magistri?  
Perspicua aspecta est primum nativa figura,  
Cum capis in tenera privas ætate Camœnas.  
Mox aliis tinctum pontum Nordhusa prehendit  
Pigmentis; claros adspectus sive notaret,  
Non tanti obscurus mons Dunckelbergius Hæmis;  
Bublius obtusos offerret sive videndos,  
Musarum & Phœbi ipsius purissimus ignis.  
Parnassus facies enarrat Lipsicus omnes.  
Non oculos Hardtus ludit nigredine visa.  
Rotthius infecit tam vastum sanguine campum.  
Cœruleum cœli fecit Fridricus amore,  
Tamque exspectandæ Carpzovius incola sedis.  
Injecit virides oleas Olearius, oris  
Et vilem similis Rechenbergerius algam.  
Igneus Ittigio est, quoniam sol fulgura spargit,  
Et Schmidio Oceanus, pingit quia sidere cœlum.  
Günthero fulvus fuerat. Cyprianus habebat  
Glaucum. Flavescit Ludovico totus ab auro.  
Weisius ex cunctis habet & Pippinianus umbris  
Wernerusque. Omnes speculorum more recepit  
Nam.

Nam res, per littus proprius quæcunque feruntur.  
 O laudabilibus præstans variatio factis.  
 Tu retine, *Oerteli*, docto laudandus in orbe.  
 Namque ideo læta est, nuper quæ tradita *Fratris*,  
*Infusa Doctoris*; gaudet *Pater* ipse verendus,  
 Quique tua affinis conjunctus commoda quærerit,  
*Eusebie Hörnlinus* meritis *Schwartzburgica* magnis.

JOH. MELCHIOR Körber/ Greiffenbergae  
 Silesius.

*Nassæ piscatorix.*

**O**B corbem, in sumto multum quem nomine  
 jactas,  
*Insidias madidi tu piscatoris habebis,*  
*Queis, Körbere, capit fluviorum animalia, nassas.*  
 Nam simili fiunt corbes fiscellaque forma.  
 Textisque ad varios ut captant fraudibus usus  
*Pisces*: sic ipse es cauto Tibi commodus astu.  
 Ad rem materiam faciendam *Wisa* ferebat,  
*Juncea* seu vellet *Tornavius* entheus ut sit,  
*Nechteret* ex molli seu sanctus *Adolphus* hibisco.  
*Usibus* hicque etiam fit opus factisque futuris.  
*Güntherus*, celebrat quem nunc *Löbavia* *Phœbum*,  
 Namque secat virgas, texit justo ordine sectas  
*Heinius*, adtextas firmat vinclisque *Rederus*.  
*Weissus* ad fluvios proprius promovit & amnes,  
*Zittanum* illustrat multo qui lumine *Pindum*,  
 Teque infinito perfudit munere Numen.  
*Lipsia*, quo fallat, corbes disponit in undis.  
*Quo* capienda loco, figebat, turba natabat,  
*Rechenbergerus* palos. Hærebat in istis.

Fraus *Seligmanno* prudenter structa. Videbat  
 In laqueos multam prædam *Carpzovius* ire.  
 Observat *Schmidius* captos. Cymba advenit *Hardtus*,  
 Deceptosque levat, turmā salienteque gaudet.  
 Sicque equidem egregii rivi venantur in oris  
*Kahliu* & *Wisam Schivedlerus* ad æthera ducens.  
*Rotthius* ad majora ibat sed flumina functus,  
 In sanctæ assiduus ripis *Pippingius* ædis,  
 Et qui non uno fidæ molimine mentis  
*Gäntherus* magnus Doctor, summusque Patronus.  
 Sic parta ex textis grator tibi commoda nassis.  
 Unum restat adhuc. Nosti, quod retia tendat,  
 Omnibus ut rectis, Tibi sic quoque perfidus hostis.  
 O prudens! Si, qua pisces tu fallis in undis,  
 Te decepturos astus vitaveris arte.

HEINRICUS WILHELMUS FINXIUS,  
*Lunenburgensis.*

*Fertilitas aquæ.*

**F**ertilitas in aquis magna est. Nascuntur in agri,  
 Uberius fruges, si foecundentur ab undis.  
 Pullorum & quot non excludunt agmina pisces?  
 In Te laudando visum hanc sistere, *Finxi.*  
 Mercator genuit clarus Te. Dotibus implent  
 Sed fervente opera commercia pluribus arcas.  
 Tractata, excenso quam quot sunt sidera cœlo.  
 Frugifera ingenium nil ubertateque vincit,  
*Finxi*, etiam doctum. Formoso gramine pubem  
 Luxuria in patrio decorabat *Poltzius Hæmo*.  
*Weissius* in fructus etiam hic exuberat omnes,  
 Qui verbi sobolem innumeram virtute focorum

*San.*

Sanctorum antistes domino fert. Nulla rosetum  
 Rostochiense orbi præstabat copia florum.  
 Narcissos Logicos Logicus *Wildbrandus* habebat.  
 Entia *Lindmanno* tiliarum ex arbore frondes  
 Extiterant. Violas mores *Müllerus* honestos  
 Virtute appellat recta violaceus ipse.  
 Grex naturæ alias *Scaperi* existit in hortis.  
 Eusebies studiis sanctis quid crescere narrem?  
 Divini assertor peccata in cuncta favoris,  
*Fechrius* exsatiat sensus in messe stupenda,  
 Proventus jactat multos *Habechorstius* auri.  
*Starckius* haud paucos spectabat in arbore fœtus.  
 Lipsia postremum foecunda animalia præstat.  
 Exilit in stabulis *Cypriano* multa juvenca.  
 Pullis *Heshusio* sylva est Schmidioque ferinis  
 Fertilis. In nidis multa invenit *Hardtius* ova,  
 Quin homines sacri multos genuere Magistri.  
 Sic namque immensas divus *Carpzovius* urbes,  
 Pagosque *Ittigius*, *Seligmannus*que refarcit.  
 Ne sterilem metuas posthæc Ecclesia sortem.  
 Ex Domini sponsis in Te gens multa vetustis  
 Quod generetur adhuc, exemplum *Finxius* edet.

ANDREAS CASPAR ROTHE , Falcoburgo  
 Neo-Marchicus.  
 Glacies.

**S**ume, *Rothi*, glaciem, glacies quia convenit  
 in Te.  
 Ad Boream, quæ Te progignit, Marchia spectat  
 Frigentem. Mentis sed sic quoque signa videmus.  
 Prudentis. Claudunt ita se namq; atque recludunt,

Qui res perspiciunt, glacie concreta videmus  
 Nunc templa Oceani scut, nunc rursus aperta.  
 In fluvio patrii sternunt Tibi flamina pontem  
 Frigida Parnassi. Fueratque hic *Arndtius* Eurus  
 Laus suprema Scholæ, post primam lausque secundâ  
 In pubis laudem studiis *Avenius* ardens;  
 Post illorum obitum simili quique ordine stabant  
*Lampius*, & Pindi fortis *Brunovius* Atlas.  
 Densanda ostendit Dantiscum frigore post hæc  
 Quæ loca. Piscinas abdebat *Wolffius*. Amnes  
*Bebrinus* occultat. *Büttnerus* flumina sternit.  
 Dat *Rosseuscherus*, dat *Düsseldorffius* omni  
 Rectorque Oceano pelles *Schelvigiuss* ipse.  
 Successum & varios casus mons regius ad fert.  
 Contrahitur parvis *Hedioni* in margine lymphâ  
 Molibus, à ripâ *Rabius* promovit utraque  
 Longius in spatum robur, conjungit in unum.  
 In medio, stipatque novis accessibus horas  
*Sandius* in cunctas. Quæ restant Lipsia præstat.  
*Heshusso* à tectis dependet Stiria. Barbam  
*Menckius* atque *Hardtus* loricant. Scindere vidi  
*Fridricum* Erneftumque lacus ad commoda piscis.  
*Pfautzius* & *Schmidius* per lubrica dorsa feruntur.  
 Et *Rechebergerus* ridendo, ut fulgura, lusu.  
 In cella est glacies *Ludovici* æstatis ad usum.  
*Menckius* in fluvii currus transportat onustos.  
 O mihi quam contraxit aquas Aquilonia virtus!  
 Sed quoque ver solvet calidum ferventibus austris.  
 Atque id succedet post in gravioribus ausis.  
 Ne dubita. Tibi nam glaciem jam fregit Apollo.

MAR-

MARTINUS BENJAMIN GERHARD,  
Bregâ-Silesius.

Ex miraculis aqueis traductio Israelitarum per mare rubrum.

**I**N ponto fieri miracula plurima constat.

Præcipuumque fuit, de fœdis carceris antris

Ad libertatem promissam ex stirpe Jacobi

Cum natum populum Dominus deducere vellet,

Gens quo divisis hinc inde & stantibus undis,

Ulteriora, Deus quam duxit, littora tangit.

Non Gerharde, habeo, melius quod laudibus aptem,

Chare, tuis. Servi quid signant nomina dura.

Hactenus ipse etiam vastique in flumine mundi

Ut maris in gremio, sperata ad gaudia ducis,

Servitio tenuere malo quos crimina, sensus.

Primum in Bregensi discis sic ire Lyceo,

Gremplerus dicit dum docta & Schwopius arte,

Parnassique omnis Thilo suspiciendus Apollo.

Mox fungebantur doctorum munere Breslæ

Hanckius in Pindo magnis & Krantzius ingens

Miraclis, vastis Neumannus pectora terrens

Vanaque prodigiis, sensus Schmidius que profanos.

Transitus ante alios totus sed Lipsia visa est.

Hostem dum spectat venientem, Olearius orat.

Anxius à Domino, quæ sunt facienda, jubetur

Rechenbengerus. Baculo mare percutit amplum

Spe multa Ittigius plenus. Duplicatus in alto,

Ex aquæ Schmidij murus molimine saxis

Surgit. Tranquillo transit Cypriamus arenas

In fundo Oceani pede. Sese claudere rursus.

Suetos, atq; hostem secum omnem involvere fluxus,

In mortem Ernesti gaudet. Tandem ore diserto

Di-

Divinas celebrat pro tanto munere laudes,  
**I**n cœli, *Hesbusus*, pulsans jam tympana templis.  
**Q**uin, *Gerharde*, Tibi grator quoque victa pericla.  
**E**x damnis facta est Tibi quæque redemptio, fiat  
*Ipsa* aliis iterum per Te. Cur compede Moses.  
**N**amque ægyptiacos possis non solvere servos?

**J**OHN. DAVID *Heydenreich* / Franckenhusa-  
 Thuring.  
 Fluvij auriferi.

**A**urifera auriferi devolvunt flumina rivi,  
*Heydenreichi*, in Te. Nam tractat sedulus au-  
 rum

**A**urifaber Genitor. Cultæ doctrinaque mentis,  
 Cætera præcurrit quod nobilitate metallum,  
 Exhibit. In patria Tibi nata est aurea vena  
*Hoffmanni* studiis, Pindi qui fulgidus ardor.  
 Post istum fluviis pretiosas indit arenas  
 Divitiis plenus multis *Kalbitzius* amnis,  
 Splendidam ubi exornat Princeps Schvartzburgi-  
 cus arcem.

Nec minor est opibus Gotha illustrissima fulvis,  
 Dum menti insinuat claras *Vokerodtius* artes.  
 Multo in Jenensi fluit excellentior Hæmo  
 Thesaurus. Vedit tenues fulgere per undas  
 Eusebies fulgor dotes *Hebeſtreitius* ingens.  
 Ex fundo lucem *Treunerus* ad æthera traxit,  
 Ex altis fodiens pretio præstantia cryptis.  
 Vexit Müllerus radiantes undique glebas,  
 In medio gravidus donis dum flumine currit.  
 Posnero ad siccas visa est dos ignea ripas.

Præ-

Præsentat fluvios tam dites Lipsia multos.  
 Mirando Herrichius Pactolum munere vincit.  
 Dicitur est senior non paupere Menckius Indo.  
 Est Tagus occidui præstans Olearius orbis :  
 Quæ trahit ex Italis generosos matribus ortus,  
 Est Padus in Schmidio, non parva opulentia gentis.  
 Sufficit Eo Güntherus littora Gangis.  
 Quidque aurum multis solum Tibi prædico verbis ?  
 Fluxit in Itrigio non una adamantina virtus.  
 Crystallis puris Reckenbergerus abundat,  
 Æternæ vitæ Seligmannisque fluentis.  
 Felices, ad quos tam pulchras volveris undas.  
 Hos dabit, ingenui qui Cancellarius aulæ  
 Fons Stolbergenlis juris Dreysscherffius, à quo  
 Excellentis eunt Tibi limpida flumina sortis.

### GEORGIUS JOHANNES CONRADI, Riga-

Livonus.

Diluvia.

**D**Iluvia exhibeas duris vastantia fatis,  
 Conradi, terras. Patriæ incognita non est  
 Sævitia illa maris. Nam quæ Livonia profert  
 Te partu in niundum, Martis sic obruta torpet  
 Fluctibus, ut sylvæ, campique & pratæ peribunt,  
 Excedens quando posito sibi littore vastus  
 Opprimit Oceanus, quicquid comprenderit, undis.  
 Quin simili affectus errantes obruis ausu  
 Incurvasque gravis, tumulas aqueisque sepulchris.  
 Contra odium densi funduntur ab æthere nimbi.  
 Viribus invidiam petiit violentia magnis,  
 Ut defrenato fluvio itur in aquora cursu.

Cum

Cum luctus premitur, nulla adsunt littora ponto.  
 Urbes spectantur sub aqua sylvæque timoris.  
 Mollitiem unda tumens abreptam vexit amoris.  
 Terra sinus motu magno patefecit aquarium,  
 In triste exitium foedæ quando intremet iræ.  
 Inflatæ pulsant montana cacumina mentis  
 Fluctus, atque altas imitantis culmine turres.  
 Heu mihi quam trepidi rapiuntur sensa pavoris !  
 Quam non firma manent non justè tecta pudenter

tis !

Non madidi illorum miseret fera flamina venti;  
 In queis in misera nulla est miseratio sorte.  
 In zelum illicitum tegitur caliginè cœlum:  
 Crimine quæ vario visa est odiosa libido  
 Evecta Oceano summa spectatur in ulmo.  
 Non refero clades, nemo quas viderit unquam:  
 Quotunque, ecce notant ipsi, immisere ruinam,  
 Et quos in pravas celebris res excitat Hala,  
 Maxima tempestas factis Buddeus inquis,  
 Perturbati animi vindicta Antonius acer,  
 A lege in mores versos Breithauptius austere;  
 Et peccatorum jamdudum absorptio grandis  
 Rechenbergerus, poenis quos Lipsia tradit.

GOTTFREDUS OHMIUS, Frâncofurtensis  
 Marchicus.

Vasa hauriendis, continendis, portandis, tractandis & transfundendis aquis facta.

**P**Lenum Castaliis, Ohmi, vas haustibus offers.  
 Hanc, non tam, quod rem cognomina fertur  
 videntur;

Quam

Quam quod complexu præstas habitacula capaci,  
 Quas Musæ & Charites profundunt, artibus, in Te.  
 O mihi! quam nata est sic apta occasio Musis,  
 Instrumenta licet qua narrare indice justo,  
 Et quibus haurimus non sicca ex sede liquores,  
 Et queis servamus per tempora certa, quod haustum  
 est,

Custodita alias & queis transfundimus in res.  
 Castalia in Te, sed fas est, ut venerit unda  
 Describam. Patria urbs parvis cochlearibus usus  
 est,

Dum primis satiat nascientia pectora poculis:  
 Sed mox humores vasis majoribus indit,  
 Postquam immaturâ raptos post morte parentes  
 Educat ad sanctos præstabilis amphora succos,  
 Eusebies patriæ Solymæ Wagenerus in æde.  
 Montanam hicque etiam Te secum adduxit ad o-

ram,  
 Musa ubi per multos ad regiâ saxa cañales  
 Extrahitur. Teque hic Phœbo syphonibus implet  
*Thegenius* præstans in doctis urceus umbris,  
 Et quo per totum portandis, *Hedio*, lymphis  
 Ulla Hæmum nunquam spatiösior obba reperta  
 est.

Quis breviter numeret patinas, quas Anglia mon-  
 strat?

Format quasque opifex pretiosas Belgicus urnas?  
 Ex terris aperit peregrinis plurâ reverso  
 Lipsia, seu madidis in ripis cantharus adsit;  
 Ex puteo adscendat gelido sive antlia stillans;  
 Sive coquendum habeant pecori caldaria potum.

Omnia

Omnia non fas est brevibus describere. Vasta  
 Vasta ob doctrinam Schmidius Tibi dolia portat.  
 In raris habuit Cyprianus pocula conchis.  
 Ex ferro factis Hardtus dat balnea labris.  
 Qua vitam accipias ratione, Ecclesia, ne sit  
 Cura Tibi. Ad cunctos satis hæc vasaria casus.

\* \* \* \*

**S**Ed clando fontes, fluidos jamque obstruo rivos.  
 Dogmata nam quicquid plantarunt sparsa docen-  
 tum,  
 Irriguum lauri diffuso munere factum est,  
 Et, quod Neptuni sub nomine, carmine, fudi.  
 Nil superest, quam (quod cuncti ore precamur eo-  
 dem)  
 Incrementa ut det non una ex æthere Numen.

\* \* \* \*

**J**Amque ito, & docto Te, Musa, ita sisito mun-  
 do,  
 Seu placidas, saevas seu subitura notas:  
 Scito tamen, Tibi me non desperare Patronos.  
 Forsan, quemque juves, unus & alter erit:  
 Ne queras, qui sint: Ipse haud desidero nosse:  
 Sollicitat stimulos lauis manifesta malos:  
 Quod si porro instes, ut dicam expressius unum:  
 En cœlum, majus quo nihil orbis habet.  
 Nam quia perpetuo terras nunc irrigat imbre:  
 Ipsi Neptunum juro placere meum.

AC.

ACCESSIO  
DUORUM  
**PROGRAMMATUM,**

*Quibus  
in excipiente*

**PRO-CANCELLARIATUM  
TERTIUM**  
per astatem ejusdem anni  
**DECANATU SEXTO**

*Ad*

Audiendas in memoriam optimè de Juventute Stu-  
diosa meritæ Virorum prætantissimorum munificentia

**ORATIONES**

*invitatum est,*

*De*

**PROFESSORIBUS**  
seculi nuper elaphi  
**ORATORIIS & ETHICIS.**

**PROGRAMMA I.**

*De*

**PROFESSORIBUS ORATORIIS.**

**N**on alienum erit ab instituto nostro,  
paucis Professores Rhetoricos recen-  
sere, qui per finitum non ita pridem se-  
culum à nato Christo decimum septi-  
mum publicis stipendiis in hac Acade-  
mia docuerunt. Intimaturi enim, habitum iri in  
memoriam Viri, qui de indigentioribus Musis ea-  
gregie meritus fuit, orationem, cur non memoria  
quoque repetatur eorum, quorum studio operis-

**H**

*que,*

que, qui orationes recitant, facultatem dicendi adipiscuntur? Sed & facile est, cum catalogum Professorum ipsorum texere, tum brevibus declarare, quid in rebus ipsorum dignum occurrat, quod ad posteritatem transferatur. Nempe commemorandi in catalogo quinque in primis sunt Viri. Primus est Johannes Curtius, qui Rheticus fuit à mense Februario anni millesimi quingentesimi nonagesimi noni, usque ad Junium anni millesimi sexcentesimi vigesimi. Curtio successit secundus Andreas Corvinus, munereque hoc functus est usque ad annum millesimum sexcentesimum quadragesimum septimum. Tertius fuit Hieronymus Kromayerus post Corvinum eloquentiam docens usque ad annum millesimum quinquagesimum octavum. Kromayerum exceptit quartus Jacobus Thomasius in munere hoc durans usque ad annum millesimum sexcentesimum octogesimum quartum. Quintus & ultimus est, qui non facile enarrandis meritis cum studiosam juventutem tum totam Academiam hoc etiam adhuc tempore, postque finitum adeo seculum, sibi devincit, celeberrimus Vir Johannes Schmidius. In rebus singulorum horum Professorum recensendis fas forte sit istos solos intueri, & quid in iis sciri mereatur, proponere. Sed potius videtur instituta cum doctoribus Rheticis seculi decimi sexti collatione, quomodo inter se vel convenient, vel different, explicari. Quod ut commodius fieri possit, opus est, ut & ex tempore dicto Professores allegentur. Quos vero omnes non dabo, sed ex iis eos tantum afferam, qui in dimidio seculi posteriore vixerunt. Fuit igitur orator

Li-

Lipsiensis Casparus Jungermannus usque ad annum millesimum quingentesimum septuagesimum tertium; post hunc Maximus Gœritzius usque ad annum millesimum quingentesimum septuagesimum sextum; tum Hieronymus Zynaus, usque ad annum millesimum quingentesimum & octagesimum; deinde Johannes Rivius, usque ad annum millesimum quingentesimum & octogesimum quartum; Ulterius Daniel Frisius, usque ad annum millesimum quingentesimum octogesimum sextum; Porro Johannes Neldelius, usque ad annum millesimum quingentesimum octogesimum octavum; deinde Georgius Cunelius, usque ad annum millesimum quingentesimum nonagesimum quintum; tandemque Johannes Fridericus usque ad annum millesimum quingentesimum nonagesimum nonum. Apparet autem initio statim maxima differentia Professorum seculi decimi sexti & decimi septimi quoad numerum personarum. Vix enim per integrum posterius seculum quinque computantur, cum ex quadraginta posterioribus seculi prioris annis octo jam commemorati sint. Sed in reliquis tamen extantior est similitudo. Et ex singulis quidem Nationibus, ex quibus Academia haec constat in utroque seculo Oratores extiterunt. Referri enim debent inter Saxones Curtius Bischoffsrodenensis, inter Bavaros Corvinus Westenfeldensis, inter Misnicos Kromayerus Cizensis, & Thomasius Lipsiensis, inter Polonos Schmidius, Vratislaviensis. Memorabileque imprimis est, quod eo ordine Nationes se invicem exceperunt, quo Curatores novi Collegii ex antiqua constitutione eliguntur testantibus versiculis: Hoc

Hoc Curatores succedunt ordine nostri,  
 Saxo post Bavarus, Misnensis & inde Polonus.  
 Sed & in seculo decimo sexto singulæ Nationes suæ  
 Professores habuerunt. Pertinuit enim ad Sa-  
 xones Casparus Jungermannus, Servestanus, ad Ba-  
 varos Frisius Argentoratensis & Fridericus Wolffs-  
 husanus, ad Misnicos Gœritzius Martisburgensis,  
 Zynaus Lipsiensis, & Cunelius Dresdensis, ad Po-  
 lonos Neldelius Glogoviensis. Qua superiores Fa-  
 cultates, reliquasque Communitatis Philosophicæ  
 disciplinas nulla etiam desiderari potest. Ad Theo-  
 logos quippe referendi sunt Kromayerus & Schmi-  
 dius, uterque Doctores & Professores Theologiae,  
 ille quidem ordinarius, hic extraordinarius; ad Ju-  
 reconsultos Jungermannus, Zynaus, Curtius &  
 Corvinus; ad Medicos Gœritzius & Cunelius; ad  
 Philosophos solos Friedricus & Thomasius. Et  
 manifestum sic simul etiam evadit, in seculo priori  
 desiderari inter Oratores Theologos, in posteriori  
 vero præcipue medicos. Omnes Assessores Com-  
 munitatis Philosophicæ fuerunt, antequam Profes-  
 sores eligerentur, uno excepto Rivio, prius Profes-  
 sore, quam Assessore facto. Nec paucos referre  
 possum, qui alia munera ante sustinuerunt, quam  
 Rhotoricæ studiis addicerentur. Transiit enim ad  
 hoc munus à Professione utriusque linguae Gœritzi-  
 us, à lectione dialectica Zynaus & Thomasius, à la-  
 boribus scholasticis Annæbergensibus Fridericus, à  
 lectionibus historicis Kromayerus. Quin & fue-  
 runt, qui alia munera simul cum oratoriæ studiis  
 publicis conjunxerunt. Notarius enim Academiæ  
 sic fuit Zynaus. Latinam linguam à morte Conradii

Baa

Bavari docuit Corvinus. Inque schola cum Nico-  
laitana tum Thomana oppidana per duodecim an-  
nos, & quod excurrit, ante finem vitæ Rectorem e-  
git Thomasius. In Facultate sua, Academiaque ipsa  
cum Decanatum, tum Rectoratum gesserunt etiam.  
Ut de iis tantum dicatur, qui seculum posterius il-  
lustrarunt, Decanalimunere functi sunt Curtius bis,  
ultimaque vice anno millesimo sexcentesimo &  
quinto, quo minus sèpius idem munus suscipere  
posset, impeditus Doctoratu Juridico, post quem  
imperatum ex Communitate Philosophica in dis-  
pensatione Magistrorum anno millesimo sexcente-  
simi quinto dimissus est, et si Professionem artium  
usque ad annum vigesimum ejusdem seculi retine-  
ret: Corvinus octies: Kromayerus quater: Tho-  
masius quinques, Schmidius quater, idque ultimus  
quidem hoc majoribus laudibus & meritis, quod ex  
manu ejus centum & sexaginta octo eruditissimi ju-  
venes lauream Philosophicam summam insolita-  
quidem, quamdiu hæc Academia stetit, felicitate &  
binis quidem vicibus singulis prima & tertia trin-  
ta octo, binis vero secunda & quarta quadraginta  
sex acceperunt, ex quibus & multi egregie jam in  
Ecclesia, Academiis & Republica de bonis publicis  
merentur. Rectores autem fuerunt Curtius, Cor-  
vinus & Schmidius ter; Kromayerus & Thomasius  
semel. Non una ratio fuit, qua præcepta Rheto-  
rica docere desierunt. Extiterunt enim, qui morte  
missionem adepti sunt, ut ex seculo posteriore Cor-  
vinus & Thomasius & ex priori Gœritzius, Zynaus  
& Cunelius. Extiterunt, qui ad alias Professiones  
accidentes aliis eloquentiam reliquerunt, ut secu-  
H 3 J.

lo aut posteriori aut priori post orationem Theologicam accepit Kromayerus, physicam postque hanc Historiarum & utriusque linguae Fridericus, & Juridicam Jungermannus & Curtius, ex seculo vero priori cum eloquentia Logicam Ethicamque doctrinam mutavit Neldelius. Extiterunt, qui sponte munere se hoc abdicarunt, ut Rivius & Friesius fecerunt, et si annotatum non sit, quocunque abirent. Quia vitam privatam non pauca essent, quae signari possent. Imprimisque honorificam matrimonii mentionem fieri liceret. Novimus enim Jungermannum generum fuisse incomparabilis Camerarii; Neldelium Lepzelteriam ex splendida familia virginem uxorem duxisse: Thomasi posteriorum ex duabus conjugem relictam à Collega & Professore Communitatis Philosophicæ Hornschuchio viduam extitisse. Sed non patitur chartæ angustia hæc & similia prolixè nunc exsequi. Quare ad postremum quod dicendum adhuc restat, accedo, eloquentiamque maxima per horum virorum operas incrementa cepisse, observo. De qua quidem rem ambigere non potest, quicunque cogitaverit, & ex Fonte Latinitatis Corviniano summam orationis puritatem & castitatem scaturire, & in Orationibus, & Præfationibus disputationibus ante conflictum præmissis Thomasianis florentissimam dicendi copiam & ad veram eloquentiam promtam & expeditam viam inveniri. Quin & ad profectus in dicendi studiis ubiores pertinet, quod per singulos annos in memoriam virorum munificorum, qui ad erigendas indigentiorum necessitates liberalia stipendia constituerunt, publica solennitate orationes

nes habentur. Et harum quidem tres sunt. Prima in honorem Georgii Ridelii à Leuenstern Vratislaviensis & Capitanei cœpit mense septembri anni millesimi sexcentesimi septuagesimi quarti. Secunda benignitatē prædicat D. Danielis Ægidii Heinrici Utriusque Jur. Doct. clarissimi primumque habita est mense Majo anni millesimi sexcentesimi octogesimi septimi. Tertia clarissimum virum M. Joh. Christianum Geierum, Theologi summi, D. Martini Geieri b. m. Filium, ob ordinatam in Convictorio publico in commoda pauperum mensam veneratur & colit à mense Februario anni millesimi sexcentesimi octogesimi octavi. Hæque etiam ut singulis hactenus à principiis suis recitatæ sunt annis, ita & per currentem hunc habebuntur iterum. Et Geieriana quidem memoria recolebatur mense jam Februario. Rideliana in Octobrem differetur. HEINRICIANA vero ad instantem proxime Jovis diem celebrabitur. Recitabit enim hoc consilio menteque orationem non incomtam Pereximus Juvenis Dn. Erhardus Thumbser Dresdensis S. S. Theolog. Studiosus perindustrius, quod hoc tempore stipendio ex ejus liberalitate profluente fruitur. Ad quam audiendam ut Magnificus Academiæ Rector, Illustrissimi Dn. Comites, utriusque Reipublicæ Proceres literarumque Patroni alii & cultores omnes ad futurum proxime Jovis diem Loco consueto post IX. matutinam benevole conveniant, ut decet, officiæ rogamus, nullam occasionem prætermissuros nos polliciti, qua ad compensandam comparendi promptitudinem paratissima quævis studia atque obsequia exhibere iterum potuerimus. P. P. Dom. IV. post Trin. A. R. S. MDCC II.

PRO-

## PROGRAMMA II.

*De*

## PROFESSORIBUS ETHICIS.

**D**E Professorum Ethicorum, qui per se-  
culum nuper elapsum in hac Acade-  
mia docuerunt, numero, fatis & meri-  
tis quædam in hanc chartam conjicere  
consilium est. Atque satis multi qui-  
dem enarrari debeant, si à Johanne Neldelio, qui  
primus in seculo dicto mores ad leges adduxit,  
usque ad eum, qui nunc in eodem munere summa-  
cum laude adhuc versatur, allegaturi simus. Sed  
magis tamen illustria omnia fiant, si & ex seculo de-  
cimo sexto, qui à tempore restauratarum literarum  
de officiis hominum commentati sunt præmisimus.  
Primus igitur nominari debet Joachimus  
Camerarius, qui cum studiis utriusque linguae  
& Historiarum Moralia exhibuit usque ad mor-  
tem, quæ contigit anno millesimo quingentesimo  
septuagesimo quarto. Post hujus mortem integro  
anno inter deliberationes & consilia de idoneo suc-  
cessore Camerario substituendo exacto, idem mu-  
nus in Georgium Bersmannum Annæbergensem,  
devolutum est. Post hunc doctrinam de virtutibus  
exposuit Wilhelmus Hiltenius Colonensis, ab an-  
no millesimo quingentesimo septuagesimo nono,  
usque ad annum millesimum quingentesimum  
octogesimum primum. Hujus successor fuit Bar-  
tholomæus Waltherus, Pirna Misnicus, usque ad  
annum millesimum quingentesimum octogesimum  
octavum. In ejus locum accersitus est Johannes

Nel-

Neldelius, Glogoviensis, usque ad annum Christi millesimum sexentesimum duodecimum. Neldorf exceptit Christophorus Preibisius Sprotta Silesius, quem anno millesimo sexentesimo decimo sexto secutus est Johannes Müllerus, Froburo Misnicus. Hunc ursit anno millesimo sexentesimo decimo octavo Johannes Clingerus Lipsiensis. Ab anno millesimo sexentesimo vigesimo secundo præfuit Practicæ Philosophiæ Zacharias Schneiderus Lipsiensis. Post Schneiderum Moralia publicis stipendiis tractare cœpit Antonius Kirchhofius, Dahlensis Misnicus anno millesimo sexentesimo trigesimo septimo. Inde hoc munere functus est Friedericus Leipnizius Altenbergensis Misnicus, ab anno millesimo sexentesimo quadragesimo, usque ad annum millesimum sexentesimum quinquagesimum secundum. Ab hoc tempore Professor Moralium fuit usque ad annum millesimum sexentesimum quinquagesimum sextum Jacobus Thomasius Lipsiensis. In hujus locum substitutus est David Schvverdnerus, Crazovia Bohemus, usque ad annum millesimum sexentesimum sexagesimum quintum. Decimus seculi decimi septimi Professor fuit Johannes Benedictus Carpzovius, Lipsiensis, usque ad annum millesimum sexentesimum sexagesimum octavum. Ultimusque, qui rectarum rerum studia hoc etiam adhuc tempore perque triginta quatuor adeo annos, & post seculum etiam finitum in gloriam ornamentumque magnum Academiæ tractat, Otto Menckenius Oldenburgen sis Saxo. In fatis noto principio nationes, ex quibus

Professores exorti. Et tres quidem ex iis, ex quibus Academia constat, doctrinæ moralis suffecerunt Doctores, nempe Polonica, Misnica & Saxonica. Ad Polonicam referendi sunt Neldelius, Preibisius, Leipnizius & Schvverdnerus; ad Saxoniam Menckenius; ad Misnicam sex, Müllerus, Clingerus, Schneiderus, Kirchhofius, Thomasius, Carpzovius. Ex quibus etiam quatuor, Clingerus videlicet, Schneiderus, Thomasius & Carpzovius Lipsiam patriam habuerunt. Et poterat etiam Leipnizius ad Misnicos addi, propterea, quod Altenberga, in qua in lucem editus est, ad montana Misnica pertinet. Sed idem tamen ideo, quod in natione Polonica defectus esset Assessorum Philosophicorum, ex benevolentia Communitatis, & quod patria non procul à Bohemia, regioneque adeo ad nationem Polonicam spectante sita erat, ex natione Misnica in Polonicam translatus est. In quo simul etiam illud singulare fuit, quod, et si pro loco inter Magistros non disputasset, ad disputationem tamen pro Loco in Facultate admissus, extraordinarioque etiam modo in Collegium Philosophicum receptus fuit. Atque ita quidem nullus fuisse apparuit, qui ex natione Bavarica ad Moralem doctrinam accessisset. Sed facile compeniat defectum, qui primus Ethicam ut perpetuus Professor proposuit in decimo sexto seculo, incomparabilis Vir artium politiorum, ut à Bersmanno vocatur in Oratione inaugurali Professionis utriusque linguae, quam post mortem ejus consecutus est, in hac Academia instaurator, Græcæ Latinæque literatura Parens,

com-

communisque omnium Præceptor, Joachimus Camerarius, Bambergensis. Ex quo seculo, & qui inter Camerarium & Neldelium Philosophiæ Practicæ præsederunt, cæteri vel Misnici fuerunt, ut Bersmannus & Waltherus, vel Saxo, ut Hiltenius. In seculo decimo septimo nullus fuit Professorum omnium, qui præter id, quod Assessor esset Collegii Philosophici (qua quidem dignitate nullus caruit, si unum Carpzovium demas) alio munere ante ornatus fuisset, quam mores formare publica authoritate inciperet, excepto & Leipnuzio aliquot jam annos Notario Academico, & Carpzovio Concionatore in templo Nicolaitano Sabbathico. Sed in antecedente tamen seculo ad mores ab interpretandis Poëtis Bersmannus & ab operis oratoriis Neldelius transpositus est. Inque studiis etiam superiorum Facultatum non pauci excelluerunt. Factus enim fuit Theologus Summus Carpzovius, Professor ad ultimum Theologiæ & ad D. Thomæ Pastor in hac Academia & Ecclesia. Inter JCtos excellens nomen fuit Preibisius, Doctor Jurium & Assessor Facultatis Juridicæ clarissimus. Ut Medicus egregias ægrotis operas præstitit Schneiderus, postquam ex Academia in urbem Misenam concessit, Physicus factus experientissimus. Nec desunt, qui in rebus humiorum artium & Philosophiæ sive Ethicis sive aliis etiam solis consenserunt, ut Camerarius, Neldelius & Thomasius. Moralia profiteri desierunt non uno modo. Morte enim inter has operas absunti sunt Camerarius, Neldelius, Clingerus, Kirchhoffius & Leipnützius. Sed deprehensi sunt etiam, qui alia

alia ratione à munere hoc discesserunt. Vocatus enim ad Rectoratum in Gymnasio Servestano Bersmannus fuit, postquam à Professione jussu Superiorum remotus erat, quod Formulae Concordiae subscribere nollet, cum observanda auspiciis Electoris Saxoniae Augusti sisteretur & urgeretur. Alii vero etiam, sed pace & benignitate Principis ad munera in aliis vel locis vel provinciis suscipienda abierunt. Contulerunt enim se ad Rectoratus Berolinensem & Portensem Hiltenius & Waltherus, & ad Pastoratum Ascaniensem Schwerdnerus. Qui supersunt, reliquos ad novas functiones in hac ipsa urbe admotos novimus. Transiit namque ab hac Professione ad Physicam Preibisius; ad Organicam Müllerus & Schneiderus, postque hanc ille ad munus Notarii in Nobilissima hujus urbis curia, hic ad Physicatum, quem dicere possis, Misenensem; ad Dialecticam, moxque ad Oratorium Thomasius; ad functionem tandem in Templo Thomano Ecclesiasticam & Professionem Hebraicarum Literarum, post eamque ipsius Theologiae Carpzovius. Quin & fuerunt, qui singularibus fatis vivis exempti sunt. Peste enim extinctus fuit anno millesimo sexcentesimo trigesimo Septimo Müllerus. Primusque ut Academiae Rector Magnificus mortuus est Preibisius in purpura anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo. Pertinet porro ad fata Professorum administratus cum Rectoratus Academicus, tum Decanatus Philosophicus. Deprehendimusque Rectores fuisse quidem nunquam Bersmannum, Hiltenium, Waltherum, Müllerum, Clingerum, Kirchhoffum & Leip-

& Leipnizium ; ter tamen Camerarium & Carpzovium , bis Neldelium & Schwerdnerum , semel Rectore Georgio Ernesto , Barone Schoenburgico Pro-Rectorem , bisque Rectorem Preibisium , semel Thomasium , quinquies Menckenium . Decanatu autem Philosophico functi sunt nunquam Kirchhoffius & Carpzovius , bis Camerarius , semel Hiltenuus , Waltherus & Clingerus , ter Neldelius , Preibisius & Mullerus , postremusque ultima vice , cum post resignatam Professionem munus Notarii in curia amplissima simul sustineret , ter etiam Schneiderus , ultimoque , quod Misenae , quo se conferre solebat , ut plurimum esset , per Pro-Decanum L. Philippum Mullerum Mathematum Professorem ; quartus Leipnützius , quinquies Thomasius , bis Schwerdnerus , sexies Menckenius . Facileque etiam , si omnia rectius expendas , & ipsas Professiones fata diversa subiisse , animadvertes . Fuit enim , quo cum aliis disciplinis doctrina Moralis ab uno Professore tradita fuit , ut non Professor solum utriusque linguae & Historiarum sed & Ethices Camerarius fuit & Bersmannus , cumque Organo Aristotelico simul eandem disciplinam ad finem usque vita docuit Neldelius . Fuit , quo per breve temporis spatium sola ab una persona Moralia tractata sunt , ut in priori seculo ab Hiltению & Walthero , in posteriori à Preibisio , Mullero , Clingero , Kirchhofio , Thomasio , Schwerdnero , Carpzovio , paulo post suscepit hæc munera , vel vivis exemitis , vel ad alias dignitates properantibus . Quod posterius ut inter alia ob exiguitatem stipendi , quo docebatur quondam hæc

do-

doctrina, factum est, ita paulo diutius in munere  
 hoc substiterunt Schneiderus, Leipnützias & Men-  
 ckenius, partim, quod alia munera simul cum Pro-  
 fessionibus sustinerent, ut Schneiderus Rectoratus  
 Scholæ Nicolaitanæ oppidanæ & Leipnützias No-  
 tariatus Academicí proventibus exilitatem salarii  
 Philosophici correxerunt; partim, quod ob ordina-  
 tam paulo aliter stipendiorum rationem benignius,  
 quam quondam factum est, habentur. Sed tempus  
 est, ut de meritis tot Professorum Ethicorum aliquid  
 etiam adjiciatur. De quibus quomodo omnia an-  
 gustia chartæ capiet? Tria ergo sufficient. Nam fa-  
 cile docebo, per scripta edita famam Academicam  
 amplificasse multos. Patet vero etiam, per liberos,  
 quos superstites reliquerunt, in commoda totius  
 orbis insigniter vel laboratum esse, vel adhuc labo-  
 rari. Nemoque tandem est, qui non perspectum  
 habeat, tantorum virorum opera semper mores in  
 Academia hac visos fuisse ad leges exactissimos. Li-  
 bros quis omnes enarret, quot vel à Camerario vel à  
 Neldelio, vel ab aliis etiam prodierunt? Chronicis  
 Lipsiensis Schneideri nihil ad conservandam rerum  
 urbis hujus memoriam appositum magis atque pro-  
 ficuum. Tabulis Ethicis Thomasianis Compen-  
 dioq; Nicomachicō quid doctius & in publica com-  
 moda eruditri orbis præstantius? Anteque alia Acta  
 eruditorum à Menckenio publicata vix invenient,  
 cum quo comparari possint. Nec minor in sobole  
 claritas. Nulloque negotio apertum faciam, in o-  
 mni genere vitæ excellentes Viros ex posterioris se-  
 culi Professoribus genitos esse, ut in priori seculo u-  
 nus

nus ferme Camerarius extitit, qui, si Theologos se-  
ponas, quotquot in mundo eruditio existunt homi-  
num genera, spectatissimis personis illustravit. Ca-  
merarius sane reliquit filios, Johannem Ducis Bo-  
russiae Consiliarium; Philippum Consiliarium in  
Republica & Judicio Noribergensi, & primum A-  
cademiz Altdorffinæ recens erectæ Procancellari-  
um; Joachimum, Medicum Noribergensem; fili-  
asque tres elocavit, primam Esromo Rüdigeri, Phi-  
lologo; secundam Johanni Homilio Mathematico;  
tertiam Caspari Jungermanno, Oratori & Jure con-  
sulto clarissimo. Ex qua & nepos prodiit Ludovicus  
Jungermannus, Medicus quidem celebratissimus,  
sed Poëta simul etiam in fingendis præsertim ana-  
grammatibus felix. Ex recentioribus vero Profes-  
soribus floret in aula Hannoverana Leipnützii filius  
inter Senatores Electoris Potentissimi excellentissi-  
mos Consus illustris. Theologos exornat procrea-  
tus ex Schwerdnero Superintendentens Pirnensis ma-  
xime reverendus. Quis non inter JCtōs atque Me-  
dicos, etiam Noribergenses, deprehendit Thomasii  
nomina? Cujus & gener Professor Poëseos in hac  
Academia vixit clarissimus Fellerus. Nec inter Phi-  
lologos Menckenii deesse sobolem, & qui nunc Hi-  
storias in Academia nostra docet, documento est Fi-  
lius, & qui in Academia Wittebergensi literarum  
orientalium lumen est, vicesque jam, dum Recto-  
ratum habet Serenissimus Electoratus Saxonici Hæ-  
res, Regiusque Patriæ Princeps, tanti Domini gerit,  
& in purpura Magnifica Jubilæi à condita Academia  
secundi solennia, quæ instant, attinget, celeberrimi-

mus

mus Gener. Et quis ad postremum ambiget, omnia  
 per tot viros ad honestatem in Academia contende-  
 re? Jam dudum quippe jactamus, morum & ele-  
 gantia & rectitudine, quotquot apud nos sunt, stu-  
 diosos Juvenes excellere. Nec inter annis prove-  
 ctiores deesse, quos virtutes exornant, vel una illa  
 benignitas munificentiaque convincet, qua tot stu-  
 pendia ad sublevanda indigentiorum literaria stu-  
 dia ordinata sunt. Ex quibus ad instantem proxime  
 Saturni diem in Auditorio Philosophico post  
 horam nonam imprimis Virum Nobilissimum ma-  
 ximeque strenuum Georgium Ridelium à Leuenstern  
 & Seufersdorff / *Hæreditarium in Treschen/* Co-  
 hortisque Bellicæ quondam Capitaneum, quod ex  
 indulgentia Nobilissimi hujus urbis Senatus ejus li-  
 beralitate nunc fruitur, celebrabit Vir Juvenis ma-  
 xime eximius, clareque doctus *Dn. M. Adamus Bernd,*  
 Vratislaviensis, SS. Theologiæ Studiosus perindus-  
 trius. Sed opus etiam est, quam & ipsi à Professo-  
 ribus nostris didicerimus, gratam mentem extantio-  
 ri paulo ratione declarari pro accepto beneficio.  
*Magnificum igitur Academia Rectorum, Illustrissimos*  
*Dn. Comites, Ultriusque Reipublicæ Proceres, una cum*  
*Nobilissimis Dn. Studiosis, ut ad audiendam Oratio-*  
*nem comtam & elegantem nobiscum benevoli con-*  
*veniant, obsequiose & humaniter obtestamur.*  
*Quam comparendi facilitatem promtissimis studiis*  
*obsequiisque nunquam non compensare studiosis-*  
*simi annitemur. P. P. Dom. XVI. post Trinit.*  
*A. R. S. M DCC H.*





Ye 6974

**ULB Halle**  
006 355 048

3



1018

N. C.



B.I.G.



43

ORATIO SOLENNIS  
de  
PROFESSORIBUS  
POETICIS  
per seculum XVII. à nato Christo  
IN ACADMIA LIPSIENSIS  
DOCENTIBUS.  
in publica  
MAGISTRORUM RENUNCIATIONE,  
cum  
PRO-CANCELLARII MUNERE  
fungeretur,  
d. 26. Jan. A. C. M DCC II.  
recitata  
a  
M. JOH. HEINRICO ERNESTI,  
Poët. Prof. Publ. & ad D. Thom.  
Rectore.  
Adjecta sunt SCRIPTA EJUS DEM  
ad eandem promotionem spectantia  
duo,  
PROGRAMMA, quo Candidati  
invitabantur,  
& fusum  
in laudes MAGISTRORUM NOVORUM  
more recepto  
CARMEN PANEGYRICUM.

Op. LIPSIÆ, 29.  
Prostat apud Hæredes FRID. LANCKISII.